


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [1] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn. Marg. 72

Randnoten
von Leibniz

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

vgl. Schmid, „De atheismo
eradicando", Ars certae Vindeli-
corum 1669, I. 131


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [2] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [3] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [4] - -
PUBLIC DOMAIN

PIUS
LITERATI HOMINIS
SECESSVS,
SIVE A PROFANÆ DOCTRINÆ VANITATE
AD SINCERAM PIETATEM MANVDVCTIO,
MAGNI BASILII ALIORVMQVE PATRVM DOCTISSIMORVM EXEMPLIS ET DOCUMENTIS ILLUSTRATA

A

THEOPHILO SPIZELIO.

AVGVSTAE VINDELIC.
APUD GOTTLIEB GOEBELIUM
TYPIS KOPPMAYERIANIS
cIↃ IↃ CLXIX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [5] - -
PUBLIC DOMAIN

DEO
ET
BEATÆ ÆTER-
NITATI
SÆCESSUS HIC
SACER ESTO!

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [6] - -
PUBLIC DOMAIN

QUotiesDivinæ gratiæ radiis collustratus *Literati Hominis* animus tumultuosum considerat, vitæ humanæ genium, curarum multiplicium procellas, horrendos eruditarum DEOque aliàs sacratarum mentium motus, invidia æmulationeque procurante concitatos; quoties infinitarum molestiarũ concatenatam seriem sibi ponit ob oculos; quoties denique hanc discriminum palæstram, fallaciarum scenam, ferarum spelæum probè intuetur: toties cum Sancto quodam Viro BEATAM vocat SACRAM SOLITUDINEM, absconditos ejus thesauros investigat sollicitè, ejusque colendæ oportunam quamvis captat occasionem. Nimirum si pridem cum aliàs seculi huius mancipiis otiosè fuerit negotiosus, nihilque egerit, dum voluerit omnia, & palabundus animus late hiuc inde sit evagatus, tunc ad ipsum tandem accedere propius, secum habitare optatius iniq; PIO quodam SECESSV velut in egregio

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [7] - 3
PUBLIC DOMAIN

gio Sapientiæ arcano abſconditus, res curasque hominum è longinquo tutius intueri, Deoque facilius inſervire poſſit. Et cum ubique plurima ſint homini ab homine mala, quo ea declinet felicius & exoptatam obtineat animi tranquillitatem, *neceſſe eſt*, juxta Senecæ monitum *ingens inter eum & cæteros fiat intervallum*, atque ſecedens ab hominibus, turbam plebis pacis turbonem effugiat. Non quidem ad priſcorum anachoretarum exemplum, vaſtam atque horridam eremum ille meditabitur, in qua præter feras & ſerpentes & ſparſim habitantium monachorum greges nemo inveniatur; verum B. Hieronymo in Epiſtola quadam præclarè conſulente: *Eliget ſibi oportunum & aliquantulum à familiæ ſtrepitu remotum locum, in quem velut in portum quaſi ex multa tempeſtate ſe recipiat, & excitatos foris cogitationum fluctus ſecreta tranquillitate componat.* Haud igitur extra Urbis pomoeria, non intra eremi antra Sacram aliquis quærat ſolitudinem, ſed domi ſuæ eam reperiet, in proprio domicilio, à ſtrepitu omni & inanium rerum agitatione ſecreto, ubi animus à communium curarum

rarum tumultu ſevocetur. Quemadmodum etiam D. Auguſtinus alicubi commemorat, ſe Magnum illum Eccleſiæ Mediol. Epiſcopum Ambroſium ſæpius in remotiori quodam cubiculo vidiſſe, cumque aliquantiſper ut ei loqueretur expectaſſet, inde ſe nullo dicto verbo prorupiſſe, quod crederet modicum illud temporis, quod ſummo huic paſtori ad animum nonnihil recreandum & reſtaurandum poſt tot peracta negotia ſupereſſet, minimè auferendum videri. Nec minus D. Gregorius Nazianzenus de ſe ipſo loquens; Ambulabam (inquit) ipſe mecum ad Solis occaſum in littore Maris tempus ita fallens, hâc quippe recreatione uti ſoleo, ad animum meum à curis ordinariis nonnihil relaxandum & reſtaurandum. Et utroq; plus quam integro ſeculo veſtutior ſanctiſſimus Martyr Cyprianus in VII. ad Donat. Epiſtola; *Una igitur* (ſcribit) *placidà & fidà tranquillitas, una ſolida & firma ſecuritas, ſi quis ab his inquietantis ſeculi turbinibus extractus, ſalutaris portus ſtatione fundetur, ad cœlum oculos tollat à terris &c.* Cui quaſi Sybillæ folium accedit B. Iſidori Peluſ. ſuf-

 fragium:

fragium: *Qui â medio communium rerum strepitu non recedit, & otium non agit, DEI cognitionem assequi non potest.* Imò verò omnium ætatum doctissimi Viri extra omnẽ dubitationis aleam existimaverunt, fieri non posse, ut quis menti ornandæ & instituendæ ritè serviat, nisi ultrò se ab hominum societate commercioque aliquandiu abducat; Etenim tunc demum bonæ menti vacari posse etiam Gentilis Seneca Epist. 53. præclarè observavit: *Omnia (ait) impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti, nemo ad illam perveniet occupatus.* Magisque
» christianè D. Chrysostomus in II. de
» Compunctione Serm. Oportet ergò boni
» huius volentem adire principia, prius a-
» nimo & mente secedere ab omni pertur-
» batione ac fluctuatione visibilium, atque
» ad illa conscendere & penetrare silentia,
» ubi quies summa, tranquillitas jugis, pu-
» ra serenitas, & nihil prorsus quod move-
» at, nihil quod intentum sollicitet ani-
» mum, aut indaginem cogitationis ir-
» rumpat, sed sit immobilis oculis mentis,
» & in desiderium Dei tota intentione de-
fixus. Itaque non ignaviter in Sacræ so-

litu-

litudinis diverſorio vitam Homo literatus tranſiget, nec inane aut ſine fructu hoc otium ſibi eſſe patietur, quin potius à populo ſemotus cum DEO & Sacra verſabitur Antiquitate, meditando, ſcribendo, legendo, horas utiliter collocabit, æſtuantia multorum vota deſpiciet, & caput velut è nube erigens, ſerena contemplabitur, atque in Sacro ſuo otio maximum meditabitur negotium. Quodnam illud? Seria à profanæ Doctrinæ vanitate ad PIETATEM SINCERAM MANVDVCTIO; qua juxta Verbi Divini regulam inſtituta, ſuper ſe ipſum tandem felix ille ſolitarius levabitur, nullis poſthac vitæ huius tangetur calamitatibus, nullis vexabitur moleſtiis, omni ſolutus ſollicitudine ſacra ſua gaudebit ſolitudine, in eaq; nullis amplius turbinib⁹ agitabitur, eo plane modo quo montis Olympi vertex adeò ſe altè extollit, ut nullo ventorũ ac tempeſtatũ impetu quatiatur. *Habeat ſibi* (dicet ille cũ Hieronymo,) *Roma ſuos tumultus, arena ſæviat, circus inſaniat, theatra luxurient, nobis adhærere DEO bonum eſt, & ponere in Domino ſpem noſtram.* Neque poſthac, de vanæ profa-

næque Scientiæ copiis tantopere uti quondam erit sollicitus, illud magni Senecæ frequenter in ore animoque habens dicterium: NON VACO AD ISTAS INEPTIAS, INGENS NEGOTIUM IN MANIBUS EST; eaque verba cum intimo animi verè Christiani sensu iterabit: *Non vaco ad istas ineptias, ingens negotium in manibus est.* Sacram nimirum ad Deum sinceramq; pietatem desidero manuductionē, viva & efficaci SS. Numinis voce: *Convertimini filii hominum*; è somno peccati excitatus, miserantis Salvatoris benignitate provocatus, atque exemplis DEO Sacratorum hominum incitatus. Quos inter Celebratissimus priscæ Ecclesiæ Doctor BASILIVS MAGNVS in EPIST. LXXIX ad Eustathium Sebastiæ Episcopum, de Sacra sua ad Deum atque Pietatem solidam manuductione ita disseruit:

Ἐγὼ πολυὶ χρόνον προσαναλώσας τῇ ματαιότητι, καὶ πᾶσαν σχεδὸν τὴν ἐμαυτῷ νεότητα ἀναφανίσας τῇ ματαιοπονίᾳ, ἣν εἶχον προσδιατρίβων τῇ ἀναλήψει τῶν μαθημάτων τῆς παρὰ τῶν θεῶν μωρανθείσης σοφίας, ἐπειδή ποτε ὥσπερ ἐξ ὕπνου βαθέος διανασὰς, ἀπέβλεψα μὲν πρὸς τὸ

Τὸ θαυμασὸν φῶς τῆς ἀληθείας τῶ εὐαγγελίω, καὶ εἶδον δὲ τὸ ἄχρηστον τῆς σοφίας, τῶν ἀρχόντων τῶ αἰῶνος τούτου τῶν καταργουμένων, πολλὰ τὴν ἐλεεινήν μου ζωὴν ἀποκλαύσας ἠυχόμην δοθῆναι μοι χειραγωγὸν πρὸς τὴν εἰσαγωγὴν τῶν δογμάτων τῆς εὐσεβείας.

HOC EST:

„ EGo sane posteaquam mul-
„ tum temporis Vanitati impen-
„ dissem, & omnẽ propè juven-
„ tutem inani studio attrivissem,
„ quo tenebar, cum apprehen-
„ dendis infatuatæ à DEO Sapi-
„ entiæ disciplinis immorabar,
„ TANDEM ALIQUANDO, ubi
„ velut ex gravi somno experge-
„ factus ad Evangelicæ Veritatis
„ admirabile Lumen respexi, ag-
„ novique inutilitatem Sapientiæ
„ Principum huius Mundi qui ab-
„ olentur; deplorata plurimum
„ miserabili mea vita, Ductorem

„ mihi dari optabam, qui ad PI-
„ETATIS DOGMATA ME IN-
„ TRODUCERET.

Sic Magnus ille ac verè admirandus Ecclesiæ Doctor BASILIVS, ad sapientissimi Salomonis exemplum, fucatam profanæ Eruditionis faciem in *Pio suo secessu* probè considerans, TANDEM ALIQVANDO exclamavit: OMNIA VANITAS! Haud dubiè is sibi in mentem revocaverat studiorum Juvenilium curriculum, Rhetorum atque Sophistarum Athenienſium, quondam à se magni æstimatorum vanam atque profanam docendi rationem; mutua eorundem odia, invidia æmulationeque procurante conflata apprimè observaverat; Nec sine ingenti admiratione notaverat, homines de summa nostra felicitate, altissimaque animi tranquillitate præclarè differentes, nullam prorsus invenisse requiem, nullòque ordine, sed mente modoque incondito circumagitatos, iracundiæ continuis motibus efferatos, in vanitatem totos intentos, nec de alia re magis quam laudis gloriæque magnæ acquisitione, & propriæ existimationis incre-

crementó ſollicitos fuiſſe; Imò verò quid ſibimetipſi Athenas ſtudiorum causá accedenti contigerit, nulli dederat oblivioni: „ Tum enim (Gregorio Naz. in eius vit. „ ita memorante) nonnulli jam olim cum „ ipſo familiaritate & amicitia conjuncti, „ per eius ſpeciem ad Baſilium accedentes „ (INVIDIA autē non benevolentia duce- „ bantur,) *Contentioſis* potius quā doctis & „ argutis quæſtionibus eum urgebant, ac „ primo impetu ſibi ſubiicere conabantur; „ tum quod egregiam ipſius indolem jam „ pridem noſſent, tum quod ipſi tantum „ honoris eo tempore haberi permoleſtè „ ferrent. Grave enim minimeque feren- „ dum eſſe, eos, qui philoſophica pallia „ priores induiſſent, atque in funditandis „ verbis operam ante poſuiſſent, extero „ & novitio nequaquam anteferri. --- At „ ubi (pergit Gregorius) diſputationis ar- „ canum intellexi, quod jam ne contineri „ quidem poterat, ſed perſpicuè ſeſe pro- „ debat, ab illius partibus ſtans ambiguam „ victoriam reddidi. Qua ex re ut erat in- „ genio inprimis acuto, magnam ſtatim „ voluptatem cepit, atque alacritate per-

fuſus,

„fusus, ut eum Homericis verbis omninò „describam, strenuos illos juvenes disputatione perturbatos insectabatur, nec ante „te argumentationibus eos ferire destitit, „quam prorsus in fugam convertisset, victoriamq, haud dubiam adeptus fuisset. Verum enim verò salutaris scientiæ TANDEM studiosus Basilius, suique ipsius commiseratione tactus, imò velut è gravi somno expergefactus, *ad Veritatis Evangelicæ admirabile Lumen* respexit, ejusque splendore collustratus, infatuatæ à DEO Sapientiæ tenebras agnovit atque deprehendit; & *deplorata plurimum miserabili vita, Ductorem sibi dari optavit* ad eam Scientiam, quæ nil nisi veram solidamque spirat pietatem, quæ non fucata, ac inutilium rerum micis fatua, sed constans apparet & utilis, quæ non, uti profana illa ac sophistica, otiosas & spinosas magis quam fructuosas, plusque futilitatis quam utilitatis habentes sectatur quæstiones, easque tanquam singulares delicias ac lautissimas epulas efflagitat, sed divina potius mysteria & Cœlestia oracula avidissimè æmulatur; quæ sinceræ charitati sociata & humi-

humilitati, alumnos ſuos nõ inflat aut reddit turgidos, ſed auræ benignioris perflat ſuavitate, perficit non interficit, adolet nõ abolet; quæ (ut cum Seneca loquamur,) „non eſt populare artificium, nec oſtentationi paratum; quæ non in verbis ſed in „rebus eſt, quæ non in hoc adhibetur, ut „cũ aliqua oblectatione conſumatur dies, „ut dematur otio nauſea; ſed quæ animum „format & fabricat, vitam diſponit, actiones regit, agenda & omittenda demonſtrat, quæ ad gubernaculum & ancipitia „fluctuantium dirigit curſum: ſine qua ne„mo ſecurus eſt. Ad talẽ animi formatricem Sapientiam TANDEM AQUANDO aſpirabat Magnus ille Baſilius, hanc in Chriſti Salvatoris Sapientia admirabatur, eaque propter AD EVANGELICÆ VERITATIS admirabile Lumen reſpiciens, Ductorem ſeu fidelem ad PIETATIS DOGMATA Hodogetam anxié efflagitabat.

Neque verò ſolus eum deſideravit Baſilius, verum etiam quotquot gratiæ Verbique divini luce illuſtrati, *inanis ſtudij*, ac infatuatæ â DEO Sapientiæ verè triſtem atque luctuoſam faciem ſunt intuiti; Hĩ inquam

inquam Magno Basilio præeunte, post diu multumque adamatas Mundanæ scientiæ tenebras, post seriò deploratâ vitam misere anteactam, ad Evangelicæ Veritatis Lucem respicientes, *Sapientiæ Principum huius mundi inutilitatem agnoverunt*, atque cum alio insigni Philosopho Christiano universam profanæ Eruditionis Rempublicam apertam VANITATIS SCHOLAM haud abs re appellarunt; In quâ scilicet cuncta visu audituque percepta vana sint atque redoleant vanitatem, in qua ea quæ docentur & discuntur universim omnia, ad humanæ innatæque notitiæ radios spectata, speciem quidem habeant elegantem & jucunde ridentem, at verò in pleno lumine Evangelicæ æternæq; Veritatis confusum quid & valdè maculosum, propterea que perspicacibus oculis horrendum, ac generosis animis aspernabile contineant; In quâ porrò magna eruditorum hominum pars declivi Naturæ impetu in gloriæ inanis lutum prona, spiritum trahat inglorium & anxium, ac licet subinde doctrina melior admoneat officii, ne tamen aures commodet, strepitus ac popularium favo-

favorum fragor maximè impediant; multi quid agant nesciant, seque id nescire non nesciant, neque dissimulent, cum nullis facilè conveniant, ut qui secum dissideant; nihil cœleste sapiant & divinum, parumq; curent maximum illud salutis æternæ negotiũ. Hinc Deo verè sacratæ animæ cum Basilio omnem licet insignem aliás atque admirabilem Mundi sapientiam coram Deo abominabilem stultitiam (sacro I. Cor. III. ℣. 19. oraculo confirmatæ) esse reputarunt. Quodnam verò majus est stultitiâ malum, præsertim ea quæ Sapientiæ sese venditat nomine? Quid *infatuatâ à DEO Scientiâ* miserius? Nonnè eius sectatores graviter tandẽ & miserè succumbere necesse est, ne adversus DEI ipsius infinitè Sapientis aliquando insurgere conentur sapientiam? *Convertet retrorsum* (inquit Salomon Prov. III.) *Sapientes, & stultam eorum faciet scientiam.* Perdam (ait ipse Dominus I. Cor. I.) *Sapientiam sapientium, & prudentium reprobabo.* Huius extremæ infelicitatis periculo probè perspecto, infatuatæ sapientiæ thesauros sacro quodam supercilio tandem despexêre, istumque im-

immenſorum malorum portum deſeruêre; hæc inter alia porrò cogitantes: Quo vergant omnes profanè doctorum labores? quibus invidiæ & æmulationis ſubjaceant ſtimulis, quibus ſe fatigent vigiliis, quas fundant lachrymas, quæ devorent tædia ac faſtidia? Quam arduum in lubrico ſtantem non cadere, quam capitalis ex alto ruina; quam ſeverum judicium animis ex eruditione elatis ſit expectandum; quam difficile felici præclaroque ingenio non oblivisci ſui; quam ſpinoſa, quam plena curarũ, periculorum, dolorum ſit vita literatorum; cum ſæpe quid agant neſciant, ideò quicquid inconſulti agunt, mox ut cœperint vergat in faſtidium operis, inque tædium temporis; quam tumultuoſa vita illorum, qui quotidiè cum maximis rerum difficultatibus, inquieto animo & inter turbas turbulento colluctantur. Quas tandem eruditi moleſtias patiantur, ut ſc. acquirant eam quæ momento durat eruditionẽ, & famam mox in fumum abituram conſequantur? Literatorum otia jucunda quidẽ videri, aſt hoc mel felle ſuo non carere, neque hanc ſuavitatem vanitate eſſe deſtitutam,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [20] - 16
PUBLIC DOMAIN

tutam, cum ipsi sæpè sibi displiceant abstrusioris doctrinæ cultores, totque volumina pervolutantes, veritatemque per latebras & recessus altissimos inquirentes, fatigentur pariter ac perturbentur, & cunctis laboribus exantlatis, vix in summa senectute eò perveniant, ut sapere incipiant. Quid, quod ferè semper alta ingenia altè cadant, suisque scientiis immersa, æternùm pereant, rudes verò rerumque inexpertes animi viam plerunque ad cœlum petant rectiorem. Philosophetur in Athenæis Socrates mirificè, æternam tamen non evadet mortem, quam hausta cicutâ accèleravit. Superbiat Protagoras, & nihil de Diis, neque *ut sint*, neque ut *non sint* habeat dicere, damnabitur tamen, & ab *Ignoto Deo* comburetur. Tonent in pulpitis suis Marcus Crassus, & Tullius Cicero, ibunt tamen ad tonantem stygem, & æternùm timebunt. Antiquos devenerentur novi Philosophi, & glorientur ab illis inventos Cælos; non invenient tamen Cælum illi beatorum, quando vel ipse princeps Aristoteles toto cælo ab eo aberravit. Etiam quem Christianum nonnulli dicunt, Sene-

ca, qui omnibus ſcopum præfixit, turpiter ab illo ſcopo cecidit. Taceo veruſtioris ac recentioris ævi Philoſophos, tacco mille alios, qui inſonoro veſtigio facili deſcenſu abiverunt ad plures, & jam cum Hannibale, qui Romam expugnaturus, bis imbre denſiſſimo coactus recedere, cum ſtatim poſt pugnam potuiſſet, clamant: *Cum potui, non volui; cum volui, non potui;* ſcilicet ſerò ſapiunt Phryges, & cum jam ceciderunt, primum agnovêre periculum, dumque cum Thalete Mileſio Cœli aſtrorumque curſus perpenderunt, in damnationis æternæ puteum inciderunt. Hinc tanto flagrantiori deſiderio omnes Sacro-ſanctæ Sapientiæ ſtudioſi, cum Magno Baſilio DUCTOREM ſibi dari optarunt, qui gravibus adeò malis, horrendoque æterni exitii barathro ereptos, ad PIETATIS DOGMATA INTRODUCERET.

Quis autem fidelis ille HODOGETA, & quis tam ſalutari fungatur officio, Baſilius ipſe (Comment. in Pſal. XXXII. Tom. I. opp. fol. 95.) h. m. expoſuit: *Quandoquidem TIMOR DOMINI initium*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [22] - 18
PUBLIC DOMAIN

itium est Sapientiæ, qui terrenis rebus (inani studio & infatuatæ à DEO Sapientiæ) *sunt dediti, PER TIMOREM erudiantur: Necessario enim velut INTRODUCTORIUS AD PIETATEM TIMOR ASSUMITUR.* Et rursus; *Attenta* (scribit Coment. in Cap. I. Jes.) *cogitatio arcanorum nobisq; formidabilium TIMOR, Pædagogus est ad exercendam PIETATEM.* Quemadmodum enim prisci Gentilium Philosophi quamlibet disciplinam profanã ab ipsis scientiæ principiis inchoare consueverunt, eorumque Princeps Aristoteles (1. Ethicor.) in Moralis Philosophiæ auditore requisivit sedationem affectuum, suæque Ethices principium, passionum dominium posuit, rectæ & non perturbatæ rationis dictamini sociatum; Ita Basilius etiam Sacræ huius Sapientiæ Principium statuit TIMOREM DOMINI, eumque sibi ad Pietatis dogmata Manuductorẽ exoptavit. Quantopere enim hic Timor veræ Sapientiæ studium promoveat; luculenter eum Sapientissimus Salomon docuit, dum (Prov. 1. 7.) *Domini Timorem Scientiæ principium*

diſertè appellavit; quicunque nimirum ad veræ ſolidæque doctrinæ culmen adſpiret, quisquis cœleſtis Sapientiæ ſectator fieri cupiat, ei cumprimis exoptandã eſſe mentem Sacro horrore præditam, & animũ reverentem erga ſanctam Dei faciem, arcaniſſima cordium penetrantem, ſingulasque actiones, conſilia, imò verba quoque minima accuratè obſervantem. *Omne namq́* (judice Bernardo de donis Spir. S. ſerm. I.) *virtutum ædificium, illicò vergit in præcipitium, ſi hujus gratiæ amiſerit præſidium;* Et rurſus: *Prima Gratia eſt Timor Domini, qui hanc habet, omnem odit iniquitatem.* Et ſcitè admodum Gregorius Nazianzenus, in Orat. XXXIX. *Salomon* (inquit) *principium Sapientiæ Timorem vocat; Neq́ enim ea nobis ratio ineunda eſt, ut à contemplatione auſpicantes in Timorem deſinamus, (effrenata enim contemplatio in præcipitia quoq́ fortaſſe nos impulerit) verum ut* TIMORIS RUDIMENTIS *imbuti & purgati, at q́ ut hoc verbo utar, attenuati, in altum efferamur. Ubi enim timor eſt, illic quoq́ mandatorum obſervatio;* ita præclarè Gregorius, poſtquam & ipſe

ipse cum intimo amico suo Basilio profanæ valedixisset vanitati, ac desertâ sophistica Athenienſium cathedra (teste Gregor. Presb. in ejus vita) tricesimo jam anno in artium studijs exacto, patriæ se restituisset, imò verò Deo (quemadmodum in vitæ discrimen adductus promiserat) sese consecrasset, & â MUNDO SEIUNCTUS, Ei, qui solus purissimus est, vivere cœpisset; Tùm scilicet Gregorius *Urbes, fora, theatra* (quæ laud. Presbyteri verba sunt) *Sophistarum fastū, litigantium rixas & contentiones, Rhetorum mendacia, furum insidias, divitum arrogantiam, pauperum fraudes, gloriam fluxam & fragilem aliaq; omnia reliquerat*, & cum Basilio suo fidelem illum desideraverat manuductorem, qui viam ad cætera PIETATIS DOGMATA, imò ad supremæ tandem felicitatis apicem commonstraret. Eandem *Timoris Isagogici gratiam* etiã anxiè efflagitarunt, quotquot post attritam inani studio ætatem, de cœlesti Sapientia, perenniq; philosophia TANDEM ALIQUANDO fuere solliciti. Timuêre primum, quia multa timenda commisêre, toti exhorruêre, cum apertis

divina ope oculis, ingentia ſua perſpexêre pericula, nimirum, quod (verba Euſebij Emiſſeni adſcribo) Tanti objecti ſint laquei, tam innumeri hoſtes obſervent & cuſtodiant iter noſtrum, tantæ foveæ & tanta prærupta, tantæ rerum difficultates interjaceant inter nos & finem noſtrum; Via ipſa, quæ per ſe arcta & ardua ſit, tantis ſpiritualium latronum inſidijs obſideatur, tantos ſcopulos tantosque fluctus nos tranſire neceſſe ſit &c. Ad hæc cogitantes, quanto ſæpe impetu ab adverſarijs ad caſum ſint concuſſi, & ex caſu in præcipitium, maximopere contremuerunt, porrò perpendentes lapſorum ab omni ævo hiſtoriam, Angelorum, Parentum primævorum, hominumque profanè ſapientium tragœdias; deniquè communem omnibus peccantibus ſcenam, Infernum ſc. pœnamque in eo æternùm ſævientem ſecum reputantes, protinus obſtupuêre, & ſalutari horrore perculſi, ruptis (auxilio cœleſti) graviſſimorum peccatorum vinculis, ad Divinæ miſericordiæ, Chriſti Salvatoris merito partæ, aram confugêre, eique ſoli confiſi, æternam evitavêre confuſionem.

Hoc

Hoc itaque maximum illud esse Literati Hominis in pio secessu negotium, hoc primæ veræq; Sapientiæ fundamentum, hoc ab insigni illo Daducho (*Timore* scil.) præscriptum ac subministratum optimum esse consilium (nimirum ut à Compunctione sive contritione seria fiat conversionis initium, animaque pravis affectibus inquinata expurgetur prius, quam cætera ad sanationem spiritualem pertinentia remedia applicentur,) clarissimè apparebit, si Sacræ pariter ac Venerandæ Antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta & documenta paulò accuratiori studio perlustremus, atque mirandas aliquot Vitarum ac Conversionum historias considerantes, Octo Doctoris illius incomparabilis præclaros *Discipulos*; priscæque Pietatis præstantissima exemplaria, sive illustres Ecclesiæ PATRES nobis ob oculos ponamus, & quâ ratione tandem illi in Sacræ solitudinis arcano abditi, à Sapientiæ profanæ vanitate, ad Christianæ solidæque Pietatem pervenerint, sollicitè investigemus.

I.

PRIMUM inter Veteres Sacrosanctæ huius Disciplinæ Alumnos locum haud absre THEOPHILO assignabimus, Sexto scil. illi Magnæ Ecclesiæ Antiochenæ Episcopo, Viro juxta nominis sui appellationem verè D. ☞ M amanti, Deoque amabili; eiusque memorabilem à profanæ scientiæ vanitate ad Deum solidamq; pietatem explicabimus manuductionem, ex ipsiusmet pariter ac priscorum aliorum monumentis conquisitam: Is igitur (non Sancto Lucæ coæqualis, uti quidam volunt, rati scil. illum ipsum esse *Theophilum*, cui divinus Scriptor tam Acta Apostolorum quam sanctissimũ Evangelii opus inscripserit, sed cuius ortus à Seculi II. primordiis ac Trajani Imperantis initio est accersendus,) Parentibus quidem fortuna honestis, sed Gentilium superstitionum errore involutis in hanc lucem editus, egregiaque ingenii indole præditus, seriò à teneris in omnem profanæ eruditionis disciplinam incubuit, inque cœca gentilitate, & à Magistris fidei ignaris, imò & totis in terrena defluentibus ed&tus, vix tantum bonæ eruditionis,

quan-

quantum blandi veneni hausit. Poëticæ etenim atque Rhetoricæ artibus insudans, dum ibi Deorum genealogias, amores, rivalitates, aliaque eiusmodi in ætate lubrica perlegeret; hîc verò oratorum seu rabularũ potius dolosas artes, & mordacia convitia incautus audiret, vix ipse utrobique aliud, quam & blanda illic venena, & amaros hîc calices imbibebat. Denique à Philosophis in suarum sublimitate cogitationum evanescentibus, & de principiis absq; illo primo & SUMMO PRINCIPIO invicem digladiantibus, non tam in desideratæ veritatis viam ducebatur, quam in devios variorũ errorum flexus ac labyrinthos seducebatur. Totus igitur in vanis hisce studiis erat & deerrabat Theophilus, atq; in superstitionis cursu trahentem turbam secutus, multos venerans Deos, Deum sciebat colebatque nullum. At postquam Supremo illi & unico Numini visum est, miserum hunc erronem de *Tenebris vocare* (ut S. Petrus loquitur) *in admirabile lumen suum*, non secus ac Magnus ille Basilius, TANDEM *aliquando velut ex gravi somno expergefactus, ad Evangelicæ veri-*

tatis admirabile lumen respexit, & quanta in errorum caligine huc usque sit versatus, à piis ac religiosis viris (in quos nonnunquam, dum doctos venaretur, divina providentia incidebat,) paullatim addidicit. Nec minus ut à vitæ profanæ molestiis (quibus oppidò gravabatur) pusillum laxamenti animo suo daret, *Sacrum* quendam *Secessum* instituit, in eoque vernantia Scripturarum prata perlustravit, ibi flores collegit, eorumque varietatem, virtutem, fragrantiam summopere est admiratus. Per varios insuper animi æstus atque jactationes, cum errore & infidelitate, & quasi secum ipse bello intestino diu multumque decertans; tandem vincente fidei veritate, & discussis ignorantiæ tenebris ad Christi castra (salutis æternæ lavacro ablutus,) cum incredibili totius Ecclesiæ gaudio accessit, ac cœlesti beneficio Ductorem impetravit, qui ad SOLIDÆ PIETATIS DOGMATA EUM INTRODUXIT. Quis verò ille? FIDES ET TIMOR DOMINI: Sic enim ipse Theophilus, in primo ad Autolycum libro disertè scribit: πρὸ παντὸς δὲ προηγείσθω σε ἐν τῇ καρδίᾳ

καρδία πίστις καὶ φόβος τῦ θεῦ. *Ante omnia antegrediatur in Corde tuo* FIDES ET TIMOR DEI. *Quam enim* (ait paulo infra) *artem aut scientiam edisce re quis valeat, ni se primum Magistro dedat credat q?* Tantum itaque Daduchum nactus, vitæ prioris sapientiæq; gentilis pertæsus Theophilus noster, atque novum hominem induere gestiens, cum Jesum Christum fide jam apprehendisset, omnia terrena despicere, & ad divina ac cœlestia tantum adspirare proposuit, pluris ignominiam crucis, quàm omnes Mundi laudes, & honores & glorias æstimare; denique Christiani nomen, quam Philosophi elogium in majori pretio habere, atque ut de re perhonorifica gloriari, proprii etiam nominis mensuram implere, *Deoq; se amabilem* præstare, eius adspirante gratia cogitavit. Tum igitur adversus hunc novæ militiæ tironem contrariæ partes armari, & contra THEOPHILUM, Mundanæ & Diabolicæ copiæ pugnare cœperunt. Ipse Tenebrarum Princeps, potestatis suæ infernalis machinas adhibuit, imò qui prius amici erant, voluntarias suscipere inimicitias, & odisse

odisse infestius; tum philosophiæ desertorem, & quasi comtempto ac propudioso nomine identidem *Christianum* appellare non dubitarunt. Quos inter convitiatores princeps & antesignanus eminebat ille, cuius antea facta mentio, Autolycus, Vir tam eruditus ut prope omnes calleret tam novas quam veteres historias; tam diligens ac sedulus, ut totas interdum noctes in bibliothecis transigeret; (Sic enim Libro III. ad Eund. Theophilus: Εἰ γὰρ σοι δυναστὸν, καὶ νύκτωρ δὲ οὐκ ὀκνεῖς διατρίβειν ἐν ταῖς βιβλιοθήκαις. ἐπειδὰν δὲ πολλὰ ἀνέγνως. *Nam si tibi facultas detur, haud pigritaris vel noctes in Bibliothecis transigere. Quandoquidem igitur multa legisti*, &c.) Hic ergò Autolycus, sibi ingratam Theophili à vita & doctrina profana, suorumque Deorum secta defectionem summopere indignatus, non desistebat, quà Deos suos extollendo, qua Christum crucifixum deprimendo, convitiis ac maledictis illum ultro lacessere. Quæ tamen omnia ille sincerè θεοφιλὴς non ut convitia, sed ut elogia tanquam germanus Christi discipulus, non admittebat tantum, sed volens & cupidus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [32] - 28
PUBLIC DOMAIN

pidus arripiebat, jam probè sciens *quam impropriè Theophilus* (verba sunt Palladii in vita D. Chrysost. de Alexandrino Theophilo, ab Antiocheni nostri pietate vitæque sanctitate longè diverso,) *dicatur, qui à DEI AMORE descivit, cuius gratia facilè injurias hominum ferre deberet:* Hinc aliquando Autolyco graviter obtrectanti, deque Diis suis cum veri Dei despicientia temerè garrienti, ita Theophilus lenitatis & mansuetudinis Christianæ Spiritu præditus: *Tu me O AMICE* (inquit cit lib. 1 ad Eund) *tua tantum non obruisti vaniloquentia: cum de Diis tuis, & lapideis & ligneis, & fusis, & fictis, & pictis immensum gloriarere, qui neq; vident neq; audiunt, simulachra enim sunt, & opera manuum hominum. Quod autem Christianum identidem me appellas, & quasi pravum gerentem nomen criminaris; ego sane & Christianum me esse fateor, & hoc amabile Deo nomen, frugi servus illius esse sperans, lubenter gero, neq; enim quemadmodum arbitraris, odiosum est hoc Dei nomen, sed tu inutilis Deo cum sis, ita de Deo sentis.* Cum autem ab eo posceret idē Autolycus, ut suum ipsi Deum commonstra-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [33] - 29 PUBLIC DOMAIN

straret, ipse vicissim ab eo experiri, ut suum ipsi hominem, sive principem hominis partem, animam nimirum ostenderet, tum se & Deum ipsi ostensurum: neutrum enim cerni oculis corporis posse, verum si mentis acie intueri Deum vellet, eam mundam puramque esse oportere: *Age* inquiebat, *præsta oculos animæ tuæ ad intuendum aptos, & aures cordis tui ad audiendum idoneas; & expedita nobis res erit. Quemadmodum enim qui oculis corporeis pollent, iis res corporeas & terrenas ita cernunt, ut simul etiam ea quæ inter se distinguuntur, uti lumen & tenebras, album & nigrum; pulchrum & deforme, concinnum & inconcinnũ, moderatum & immoderatum discernant, --- Neq; sane quia cæci illud non videant, idcirco quasi ex se sit inaspectabile incusandum est; sed ipsimet cæci potius & se & oculos suos meritò incusent; Ita igitur & tu ô bone Vir, à peccatis & pravis tuis factis suffusos habes animæ oculos. Atqui oportet hominem splendicantis instar speculi, puram gerere animam. Nam quod rubigo est in speculo, hoc est peccatum in homine; nec unquam poterit, qui illo fœdatus est, DEUM cernere.* Hæc

& plu-

& plura his consimilia Autolyco Theophilus, quæ non illi solum, sed & omnibus atheis (Deum propterea, quod externis sensibus attingi nequeat, negantibus) prodesse debebant. Plurimum autem (quod silentio h. l. non est prætereundum) ad illos convertendos atque convincendos Theophilus noster contulisse videtur, dum in sæpè laud. primo ad Autolycum libro, similitudines quasdam egregias, Deum è creatis rebus cognosci monstrantes suppeditavit: *Quemadmodum* (scribit ibid.) *anima in homine non cernitur, cum hominibus sit inaspectabilis: sed tamen per motum corporis cognoscitur: sic in Deo res habet, videri quidem oculis corporeis nequit, ex sua tamē providentia & operibus & videtur & intelligitur. Sicut & conspecto quis in mari navigio armamentis instructo & currente, atq; in portum tendente; haud dubie existimabit in eò esse gubernatorē illud gubernantem: sic cogitare oportet & Deum esse omnium gubernatorem, tametsi oculis carnalibus (propterea quod sit incomprehensus) cerni non possit.* Deinde post binas alias similitudines à Sole & malo punico desumptas, tertiam hanc ab eius-

dem

dem mali grano ſubjicit, & quartam ab Imperatore: *Ac velut granum mali punici intus manſitans non potest ea, quæ extra ſuum corticem ſunt cernere, cum intus ſit; ita homo una cum omni re alia creata manu DEI concluſus, Deum conſpicere non potest. Deinde Rex aliquis terrenus, tametſi non cernatur ab omnibus, tamen eſſe creditur, & per leges ſuas & ordinationes, & licentiam, & poteſtatem & effigiem agnoſcitur. Deum autem non vis cognoſcere per opera & virtutes?* Iſta ad convincendos atheos Theophilus, qui & plura ſuper eodem ibi argumento perſequitur. Quemadmodum verò ille ad quem hæc ſcribebat Autolycus, ad fidem & cultum unius Dei, *Deum ſibi oſtendi* poposcerat, ita ad Reſurrectionis perſuaſionem, aliquē oſtendi deposcebat, qui à mortuis reſurrexiſſet. Dicebat enim: *Vel unicum mihi oſtende ad vitam revocatum, ut illum intuens Tibi credam*; Theophilus verò ut hominem ſuis ipſius laqueis irretiret, atque à vana reſurrectionis Deorum opinione, ad veram certæ ac teſtatæ reſurrectionis mortuorum fidem deduceret; Ecquid magnum inquit, aut memorabile

bile

bile feceris, si id solum quod videris credas? Et verò cum Herculem, qui se ipse flammis absumsit & Æsculapium, quem missum è cœlo fulmen perussit, redivivos ac superstites credas; quænam ista dementia est, iis quæ à Deo proferuntur nolle credere? Quin & si quempiam à mortuis excitatum & viventem Tibi coram exhibuero, credituruſne etiam sis, haud scio. Cæterum multa habemus in ipsis rerum naturis futuræ resurrectionis à Deo indicia. Quæ ipsa etiam ibid. Theophilus prolixè recensuit. *Nec ego* (notanter „addens,) *futuram resurrectionem credebam*: sed his quæ jam dixi, cum animo „meo perpensis, simulque perlectis Sanctorum Prophetarum Libris, qui Dei „Spiritu afflati, & præterita quo modo „facta fuerint; & præsentia quo pacto fi„ant; & futura quo ordine futura sint, „prænuntiarunt, non potui fidem non „adhibere. Accepta igitur tam eorum quæ „fiunt, quam eorum, quæ præsignificata „sunt, demonstratione, haud perstò in„credulus, sed Deo obtemperans, Credo: „Cui & Tu si Te submittens credas, næ

„ Tibi optimè consules: cum alioqui futu-
„ rum sit, ut si modo non credas, cogare
„ postmodum, sed tuo ingenti malo, æter-
„ nis in suppliciis ea credere. Neque pro-
fectò disputationis huius laborem prorsus inanem fuisse eventus docuit, cum Autolycus ille, qui initio satis asper acerbusq; in colloquium venerat, & Theophili dicta pro stultiloquiis habuerat, tandem cum illi de Deo, Religione & pietate differenti aures patientius accomodasset, adeò in lenitatem ac benevolentiam inflexus est, ut & pleniorem eorundem tractationem ultrò efflagitaret, & valedicens, maxima amicitiæ signa exhiberet. Hinc secum statim agitare cœpit Theophilus, quâ via in amici animum altius penetraret, quibusque machinis atque artibus eum tandem pervinceret; itaque accuratum opus super toto religionis conscripsit negotio, idque secundum eidem Autolyco inscripsit & obtulit. Tametsi autem is perlectis Theophili disceptationibus nonnihil percelleretur; tamen ex aliorum congressu, & anxiis rerum domesticarum curis, facilè in errores suos revolvebatur. Ne sic quidem Theophilus

philus desponderit animum, sed uti longanimis erat & patiens, non lusurum se operam speravit, si opus ad Dei gloriam inchoatum perurgeret. Cum iste igitur Scriptores Sacros ab ipso laudatos cavillaretur, & tanquam recentes ac nuperos rejiceret, noster Amadeus, *& vel unius salvandæ animæ percupidus*, ipsum tertio labore aggressus, novum illi misit opusculum, in quo Sacrarum literarum Scriptores cum antiquissimis Gentilium composuit, & quanto isti intervallo hos vincerent, clarissimè demonstravit. An illum pervicerit ut manus daret, & collũ suavi Christi jugo submiserit, licet bene sperare liceat, satis tamen compertum non est, nos ad comperta transeamus, atque secundum Sacræ introductionis vestigium in S. Justini Martyris historia observatum considerabimus.

II.

QUemadmodum enim eadem ferè THEOPHILI ANTIOCHENI & JUSTINI PHILOSOPHI AC MARTYRIS fuêre tempora, præclara utriusque indoles, consimilis studiorum

juvenilium ratio, insignis utriusque in indaganda veritate diligentia, maxima denique in Ecclesiam Christianam merita extitere; ita una eâdemque via rationeq; ambos ad Dei veri agnitionem & cultum pervenisse, ac (divino beneficio) uno eodemque Spiritu ad Pietatis dogmata introductos fuisse deprehendimus. *IUSTINUS* etenim (uti ex ipsiusmet Dial. cum Tryph. Judæo colligere licet) pariter ac Theophilus Antiochenus literis humanioribus egregriè instructus, magnoque & insatiabili quærendi cognoscendique desiderio præditus, post assiduam Poetarum veterum lectionem, post oratoriæ facultatis exercitationes, post variarum rerum disquisitionem atque notitiam, totam ferè juventutem Philosophiæ Gentilis attrivit studio, Sectarumque omnium placita mira celeritate indagavit, non quod disceptationum argutias atque nodos tanti faceret, sed singulariter & præcipuè (uti de se ipse postea testatus est) quo veri Dei cognitionem, quam apud Philosophos si usquam alibi, reperiendam existimabat, toto animo siticulosus hauriret. Nihil enim jam tum

quam

quam de Deo audire, loqui, disserere habebat antiquius. Itaq; in Philosophi Stoici disciplinam primò se tradidit, apud quem aliquandiu versatus, cum de Deo nihil audiret, ei valedixit, atque ad Peripateticum hominem transiit, à quo cum primis diebus interrogatus esset, ecquam ipse Magistro mercedem statueret? eum quoque statim missum fecit, & Pythagoreum quendam convenit, sed ille; Quid verò, inquit, Tune in Musica, in Astronomia, in Geometria es versatus? easque disciplinas cum impensè dilaudasset, Justinum eas nescire confessum absolvit, dimisitque, qui tandem cum Platonicis congredi statuit, ac si quid apud eos de Deo doceretur, experiri. Quippe videbatur Deus hunc Virum (olim fidei mysteriis imbuendum, proque iis certaturum) per omnes traducere voluisse philosophantium sectas, quo eas probè cognitas, commodius suo tempore fortiusque refutaret, nihilque in iis veræ & Christianæ Philosophiæ par aut simile contineri, propriis ipsorum armis evinceret. Mirificè eum in ludo Platonico delectabat incorporearum naturarum intelligentia, cui con-

juncta idearum contemplatio sic ipsum, (quemadmodum de se totidem verbis prædicavit) velut pennis quibusdam sublimem attollebat, ut brevi spacio sapiens factus, & ex stulta Platonicorum persuasione Deum illicò perspecturus videretur. Cui sic affecto, visum est aliquando extra Urbis mœnia *Secessum* petere, & meditandi gratia hominum vias atque congressus declinare. *Secessit* ergò certum in locum, non procul à Mari: quo cum appropinquasset, ibique secum ipse futurus esset, ecce Vir specie veneranda, & comitatem quandam gravitate junctam præ se ferens, in quem cum aciem oculorum acrius intenderet Justinus, ille prior compellans: Cognoscisne me? ait; Minimè, inquit Justinus, Ecquid, subdit ille, ita me obtueris? Quia miror te hic mecum esse, respondet Martyr, nec enim expectabam ut hoc in loco mortalium quempiam invenirem. Tum ille: Familiares quidam mei peregrè profecti, quamobrem huc venirem mihi in causa fuêre, sed tu quid hic rerum? Delector, ait Justinus, solitariis hisce inambulationibus, sic enim mecum absque interpellatione

pellatione differo, cum hæc loca ex olendæ Rationi sint accommodatissima; Tum, Senex, quasi Justinus loca illa *Orationi* excolendæ accomodatissima dixisset, in verbo ludens, Tu igitur inquit, tantum Orationis amator es, operis autem & veritatis nequaquam, neque contendis ut potius actuosus Philosophus, quam ut Sophista verbosus evadas? Cui Justinus, (Rationis nomine Philosophiam intelligens;) Quid enim melius facere quisquam possit atque præstantius inquit, quam si Rationem omnium Ducem ac moderatricem esse commonstret? quam qui consequatur, & eâ quasi vehiculo utatur, is demum & aliorum errores ac studia velut è specula possit despicere, & quam nihil sanum, nihil Deo gratum efficiant, contemplari? Nam absque philosophia & recto rationis usu, stare prudentia nullo modo potest. Hinc omnes mortales oportet philosophari, & hoc quidem maximum ac præstantissimum opus arbitrari; cætera verò omnia in secundis ac tertiis numerare. Post quæ intulit Senex: Ergone Philosophia beatitudinem affert? Cui Justinus: Adfert omni-

nò & quidem ſola. Cedo igitur mihi, ait Senex, niſi forte moleſtum eſt, quid ſit philoſophia quæve eius beatitudo? Reſpondit Juſtinus: Philoſophia eſt eius quod eſt, ſcientia & veri cognitio, Beatitudo autem eſt eiuſdem ſcientiæ & ſapientiæ præmium. Jam verò inquit Deum quid vocas? Id quod eodem modo ſemper ſe habet, atque aliis omnibus ut ſint, eſt cauſa, id Deum eſſe ajo, reſpondit Juſtinus. Cuius verbis delectatus Senex, porrò quæſivit, Scientiæ nomen nunquid rebus diverſis eſt commune? Nam in omnibus artibus, quamcunque earum quis calleat, ſciens eius artis appellatur, ſive militaris, ſive gubernatoriæ, ſive medicæ, ſimiliterque in aliis, tam divinis quam humanis. Nonne res ita ſe habet? Age ergò rurſus: Aliqua ne eſt ſcientia quæ rerum ſimul & divinarum & humanarum cognitionem gignat? Maximè ait Juſtinus. Quid ergò? urſit Senex; Perindene eſt ſcire Deum, atque ſcire Muſicam aut Arithmeticam, aut Aſtronomiam, aut quid vis aliud eiuſmodi? Minimè gentium, reſpondit Juſtinus: Haud rectè igitur mihi reſpondiſti, ait Senex ſiquidem

quidem scientiarum nonnullas per disciplinam, quasdam per exercitationem, alias per aspectum ipsum adipiscimur, quomodo igitur de Deo Philosophi rectè sentire, aut quo pacto veri quidquam de illo dicere valeant, cum eius scientiam habeant nullam? quippe qui illum nec viderint. Atqui non oculis ipsis, ô Pater, inquit Justinus, quemadmodum alia animantia, divinum Numen cerni, sed sola mente concipi potest, ut ait Plato, cui ego fidem habeo. Estnè ergò subdit Senex in mente nostra vis quæpiam talis ac tanta, ut per eam celerius quam per sensum res aliqua percipi valeat, atque cognosci? aut forte hominis animus Spiritu Sancto non instructus Deum unquam est visurus? Atqui hoc ipsum est subjecit Justinus, quod Plato vocat oculum mentis, atque ad hoc datum esse docet, ut eo mundo ac perpurgato, ipsum ens conspicere valeat: quod quidem ens, omnium quæ mente percipiuntur est Causa, non colorem ferens, non figuram, non magnitudinem, non quidvis aliud oculis adspectabile, sed est Ens supra omnem essentiam, ineffabile, inexplica-

bile, ſolumque & bonum & pulchrum, & benè natis animis propter cognationem & amorem, quo ſe ab illis videri appetit, primitus inſitum. Hæc & alia multa de Deo, de Mundo, de anima, cum ultro citroque diſceptaſſent, totius tandem collocutionis ſumma atque finis fuit, ut Juſtinum doceret Senex, neque in Platonis, neque in Pythagoræ, neq; in cuiusvis alterius Philoſophi ſententia, de Deo præſertim, de anima deque rebus divinis, tanquam inventa veritate conquieſcendum. Quibus auditis actus in ſtuporem Juſtinus; Ecquo *tandem* igitur inquit, utatur quis alio præceptore? aut unde demum juvari quis poſſit, ſi ne in his quidem veritas invenitur? Tum ille ad rem cuius cauſa omnis inſtituta erat diſputatio, confidenter aggreſſus; fuerunt quidam, inquit, priſcorum ævo his omnibus qui Philoſophi vocantur, multo antiquiores, Viri beati, juſti, Deo chari, qui Spiritu S. afflati, ea fore vaticinati ſunt, quæ hodiè fiunt, (Prophetas eos appellant) hi ſoli & intellexerunt veritatem, & hominibus annuntiarunt. Quâ quidem in re, nec quenquam veriti, nec

ab

ab ullo inducti, nec gloria unquam victi sunt, ut vel minimum fingerent; sed ea sola puré atque sincerè sunt elocuti, quæ Dei Spiritu pleni vel viderant vel audierant. Hinc eorum scripta hodieque extant, quæ illis quidem qui legerint, fidemque adjunxerint, plurimum adferre adjumenti, & sive de principiis rerum agatur, sive de finibus, sive de aliis, quæ scire interest philosophi, magnam suppeditare lucem possint. Neque verò ullis demonstrationum viribus dicta sua suffulserunt, siquidem erant ipsimet præ omni demonstratione fidissimi testes veritatis. Nam & quæ antehac evenerunt, & quæ etiamnum eveniunt, ipsorum nos dictis tanquam oraculis cogunt assentiri. Quanquam vel ob sola miracula quæ patrarunt, omnem sibi fidem mererentur, præsertim cum & universi Conditorem Deum colerent, & filium eius Christum prænunciarent. Quod certè falsi illi Prophetæ impuro Spiritu pleni neq; unquã fecerunt, neq; nunc faciunt, sed tantum mira quædã opera terrendis hominibus designantes, dæmonia interim & Spiritus erroris glorificant. Hæc Senex cũ dixisset,

set, postremò ita Justinum commonuit: »VERUM ANTE OMNIA DE- »UM DEPRECARE, h. e. Principiò (ut Basilii verbis utamur) velut introductorem ad PIETATEM exopta TIMOREM, hunc precibus assiduis à Deo efflagita Magistrum, Time primum, quia multa timenda commisisti, vitam tuam deplora miserabilem, Deumque porrò obnixè invoca; Tibi ut (ipsissima sunt Se- »nis illius ad Justinum verba) portas lu- »cis aperiat; neque enim conspici ista, ne- »que intelligi promiscuè ab omnibus pos- »sunt, sed ab iis duntaxat, quibus ea facul- »tas à Deo concessa sit. Quibus dictis aliisque pluribus, quæ nihil est necesse in præsentiarum commemorare, & Justinum adea persequenda hortatus, ex oculis abiit, nec unquam postea illi visus est, nec cognitus. Quid verò illo digresso expertus sit, quantosque *Timore* Magistro in veræ philosophiæ studio fecerit progressus, idem ipse Tryphoni Judæo in congressione quâdam verbis exposuit sequen- »tibus: Confestim, inquit, post Senis illi- »us verba ignis quidam succensus est in animo

„nimo meo, & amor Prophetarum, eo-
„rumque virorum qui Christi sunt amici
„me incessit: cumque verba eius Senis
„mecum ipse tacitus pervolverem, hanc
„egò solam esse tutam atque utilem phi-
„losophiam, quæ mihi ab illo proposita
„esset deprehendi; Sic igitur ego & per
„talia evasi philosophus: Lectis scil. Pro-
phetarum & Apostolorum libris, indeque
accensa salvificæ fidei luce, verum se Phi-
losophum, hoc est Christianum esse cœpis-
se profitetur; huiusque vocationis suæ
memoria lætus & incalescens, pium ac
fervidum pro consimili plurimorum con-
versione votum h. m. concepit: Quam
„vellem porrò, ut omnes similiter atque
„egò animis affecti, Salvatoris nostri ser-
„monibus perpetuo adhærescerent! TI-
„MOREM enim quendam in se conti-
„nent *Salutarem*, plurimumque ad eos,
„qui à recto itinere deflexerint, in viam
„revocandos valent: præterquam quod
„iis quoque, qui sedulò sermones istos
„meditantur, animi quietem & tranquil-
„litatem conferant multo suavissimam.
Quibus verbis diserte & perceptam ex pio

isto

iſto colloquio utilitatem expreſſit, & optimum illum Daduchum TIMOREM ſcil. SALUTAREM, omnibus à recto tramite aberrantibus, non minus exemplo quam verbo commendavit; nec ipſe tantummodo bene monenti paruit, & imperata impigrè fecit, ſed & aliis quoque ad eundem felicitatis ſcopum tendentibus, eâdem ut graderentur viâ optimus author atque hortator evaſit. Quemadmodum & in extremo *Elencho* de divino Chriſti ſermone atque doctrina diſſerens; *Accèdite*, inquit, *erudimini*: ESTOTE UT EGO: *quoniam & ego fui ut vos.* Hæc „ſunt quæ me ceperunt, & doctrinæ vis di„vina & ſermonis efficacia; ſiquidem ut „bonus incantator juſſum è ſuo latibulo e„repere horrendum ſerpentem fugat: ita & „ſermo divinus graves ſenſuum perturba„tiones ex intimis animi receſſibus propel„lit: Primo quidem cupiditatem, è qua „omne formidabile naſcitur, inimicitiæ, æ„mulationes, contentiones, iræ & his ſimi„lia; depulſa igitur cupiditate, tranquilla „ac ſerena redditur anima, malis verò quæ „eam circumfluunt exoluta, ad eum qui ipſam

„sam condidit proficiscitur. Illam enim o-
„portet, eò unde abscessit, unde extitit aut
„unde existit, restitui. Ita ibidem Beatus Justinus. Quis verò inde clarissimè elucentem DEI Opt. Max. non agnosceret Bonitatem atque Sapientiam, qua flagrantem veritatis studio animam primò quidem per varias diversorum philosophorum sectas dedit evagari, non ut ab iis postmodum caperetur jam Christianus, sed ut alios è fallacibus eorum captiunculis scienter explicaret; tum verò omnis profanæ eruditionis gnarum eque Mundi tenebris eductum, à turba & strepitu populari in *sejunctum ac tranquillum locum* evocavit, ubi solus cum solo ageret, & occultos agnoscendæ veritatis igniculos animo subiceret: postremo deniqúe aliquem seu hominem seu angelum ad illum ablegavit, qui ore & habitu reverendo audientiam sibi promeritus, eo tandem perduxit colloquium, ut unde hauriri liquida veritas posset, disertè indicaret, digitumque ut ajunt ad fontem intenderet. Etenim Justinum partem ad divinorum librorum lectionem, hoc est aquas in vitam æternã salientes ablegavit;

legavit; partem ad Deum omnis scientiæ atque sapientiæ fontem invocandum, timendumq; est cohortatus. Quod si omnes melioribus studiis sive philosophicis sive Theologicis addicti, saluberrima hæc monita in animo defigerent, atque egregium Justini exemplum serio æmulari constituerent, næ illis quoque portæ lucis panderentur, & affulgente de cœlo claritate, insignis ingenii judiciique vis ad capessenda fidei virtutumque mysteria & ornamenta majorem in modum inclarescceret.

III.

IDem sane Magno illi atque incomparabili priscæ Ecclesiæ Latinæ Doctori & Hipponensi Episcopo, D. AURELIO AUGUSTINO usu venisse, eumque post impensam profanis auctoribus atque Philosophis multam operam atque industriam, post perquisitam magno labore atque sudore, & inventam nullibi veritatem, in *Sacro quodam secessu* divinæ Gratiæ lumine collustratum, imò ab eodem quoque Magistro *Timore* eruditum fuisse; insignis vitæ & conversionis eius historia jam jam com-

commemoranda diſerte teſtabitur. Indormierat ille oſcitanter ſaluti, Manichæorũ caſtra ſecutus fuerat, & vanitatum inania ſomnia verat, cum Mater eius ſanctiſſima Monica precibus ad Deum Opt. Max. aſſiduis ſtrenuè invigilaret, atque ferventius ei rem filii commendaret. Nec ſatis parenti optimæ erat votis atque precibus pulſare Cœlum, niſi etiam hominum piorum, maximè autem Sacrorum Antiſtitum opem imploraret. Horum quendam cum obnixè rogaſſet, uti cum filio ſuo ſermonem inſtituere dignaretur, refellere illius errores, malaque dedocere, Epiſcopus id effectui dare tum quidem conſtantiſſimè recuſavit, etenim, reſpondit, AUGUSTINUM prorſus adhuc tam altæ doctrinæ incapacem, & indocilem eſſe, eò quod animi elatione pariter ac novitate Hæreſum inflatus incederet, imò quæſtionibus nonnullis multos orthodoxos probosque alto ſupercilio exagitaſſet; Sed ſine tu (ait) ſciolum, ſuperbum; ultrò legendo reperiet ipſe, in quantis vivat erroribus, Deo tamen filium commendare non deſine: Verum illa re-

ſponſo hocce minime contenta, flendo ubertim inſtabat, ut filium accerſeret, & cũ eo maturè diſſereret, hocque tam diu, quouſque ille ferè ſtomachabundus feminam his verbis ablegaret : *Vade à me ; ita vivas : fieri enim non poteſt, ut filius iſtarum lachrymarum pereat.* Quod reſponſum Monica non aliter ac ſi de cœlo veniſſet, accepit, ſuasque tandem aſſiduas pro filii converſione preces à Deo exauditas lætabunda deprehendit. Poſt multam enim animi cogitationumque rixam & inteſtina bella, diſcuſſis jam jam divina ope Manichæis, convicto Fauſto Catamito ſuo, omnique eius dulcedine velut infauſto mortis laqueo abjecto ; repudiatis etiam (qui aliquantiſper eum retinebant) Academicis, atque malefida eorum ſtatione deſerta, Auguſtinus in hortulum ſuum deſcendit, quo illum & pectoris æſtus, & curarum ſolitaria libertas abſtulit. Ivit inquam in hortum (ô felix viridarium !) ſui jam non amplius compos, ivit divina gratia fidelique illo Magiſtro, TIMORE ſc. ſalubri comitatus, *& moriebatur* (quæ propria

pria eius verba sunt,) *vitaliter, gnarus quid mali esset, & ignarus quid boni post paulum futurus esset.* (a) Ivit cum eo deniq; Alipius, & tacitè vestigia Augustini legit, qui mox cœpit infrendere spiritu, & indignari, quod Deo non magis appropinquaret; mox verò sibi identidem Augustinus obganniit: Ecce *modo* tandem fiat, jamque pænè faciebat, & supina procrastinatione non faciebat: & conabatur Deum accedere, & paulo minus ibi erat, plusque in illo deterius inolitum valebat, quam melius insolitum; quemadmodum ipse est confessus pugnas & difficultates suas ad cedendum vocationi divinæ gratiæ, qua ad fidei morumque conversionem impellebatur. Nimirum placebat quidem via ad cœlum, ire tamen per portas angustiores pigebat; hosque suos æstus rodentesque curas sentiens sollicitè inquirebat: *Quis nempe aptus esset modus sic affecto ut ipse erat, ad ambulandum in via Dei?* Suspirabā ait (b) ligatus non ferro alieno, sed „ mea ferrea voluntate; Velle meum te„nebat inimicus, & inde catenam fecerat &

a *Lib. VIII. Conf. cap. 8.* b *Lib. VIII. Conf. cap. 5.*

„ conſtrinxerat me, & cogitationes quibus
„ meditabar in te, ſimiles erant conatibus
„ expergiſci volentium, qui tamen ſupe-
„ rati ſoporis altitudine remerguntur, &c.
„Certum habebã eſſe melius tuæ charitati
„me dedere, quàm meæ cupiditati cedere.
„Non erat quod reſponderẽ veritate con-
„victus, niſi tantum verba lenta & ſomno-
„lenta; *Modo, ecce modo, ſine paululum, ſed modo & modo non habebant modum.* Etenim retinebant illum nugæ nugarum, & vanitatum vanitates, profana ſtudia illum retardabant, nobile ingenium Mundanam Sapientiam omnimodè ſpirabat, & per illas doctrinas agile, difficilimas quæſtiones prius enodare cupiebat, quin imo *carneam etiam veſtem* (ut ipſe loquitur) *antiquæ eius amicæ ſuccutiebant*, ita ſubmurmurantes: *Dimittiſne nos Auguſtine? & à momento iſto non erimus tecum ultra in æternum? nec licebit tibi hoc & illud in æternum?* Quid multis? quocunque mentem oculoſque intendit, meros nodos, laqueos, labyrinthos inextricabiles infelix Dædalus videbat. Quis fando prægnantes eius eloquatur cogitationes? Quibus ſententiarum

tiarum verberibus non flagellavit animam suam, ut sequeretur se, à gratia divina vocatum? *Sed* præfractè renitebatur, & recusabat omnibus modis, quamvis se non excusabat. Undique premebant argumenta, & nutabat Augustinus in omnes partes, ceu navis undique ingentibus fluctibus in medio cingitur ponto; ita mens eius in diversa abiens errabat, nihilque satis consulebat. Tandem in gravi hac interioris domûs rixa, quam fortiter cum anima sua excitaverat, ita exclamavit: *Quid patimur? quid est hoc? Surgunt indocti, & cælum rapiunt, ET NOS cum DOCTRINIS NOSTRIS sine cordè, ecce, ubi volutamur in carne & sanguine?* Hæ difficultatum ferreæ portæ obstabant, quo minus citius Augustinus ad optatum scopum pervenerit. Unde etiam ista: *Sed tu Domine usq; quò? Usquequo irascêris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Quamdiu Cras & cras? quare non modo, quare non hâc hora finis turpitudinis meæ* (c) Qui verò portas conterit æreas, qui vectes ferreos confringit, perple-

(c *Lib. 2. VIII. c. 1.*)

xum etiam Auguſtini animum ſerenavit, hoſtes inanes profligavit, omnia obſtacula removit, ac ne foris cum corvina voce *Cras Cras* remaneret, cœleſti quadam voce compellavit. Etenim in Sacro ſuo receſſu ſuaviſſimum quendam concentum audivit; crebro illud repetentem: *Tolle lege, tolle lege*; ſtatimque mutato in diverſa vultu, vocem divinam de ſalute monentem eſſe perſpectum habuit, repreſſoq, lachrymarum impetu, non aliter hoc monitum eſt interpretatus, quam quod ſibi denunciaretur, aperiret Pauli codicem, & auſpicatò illum legeret locũ, in quem incideret. Itaque præpropere librum arripuit, & quam oculus primùm offendit paginam legit ſub ſilentio; occurrit autem XIII. Epiſt. ad Romanos caput, inque eodem verba ſequentia: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in CONTENTIONE & Æmulatione, ſed induite Dominum Ieſum Chriſtum &c.* Quas Dei per Apoſtolum minas, ubi altius animo concepit Auguſtinus, omnes penitus tenebræ diffugerunt, ſimul ac interjecto ſigno clauſit librum, & ſereno

no vultu totam scenam sibi cœlitus sub ficu ostensam Alipio suo recensuit, qui pariter tactus contentè videre petiit, quid in Paulo legisset; ostendit Augustinus, & quid sequereretur tum adhuc ignoravit; sequebatur verò: *Infirmum in fide assumite*; quod bonus Alipius ad se retulit, lectoriqúe jam longe alia animi sui cogitata aperuit, nimirum se omnia ea velle, quæ aut vox angelica aut Pauli pagina demandasset. Recreata hoc nuntio felicissima Mater, DEO grates decenter decantavit, verbisque explicari haud potest, quantum exilierit, quod elatum jam filium suæ cogitationis feretro Viduæ sibi Deus ad vitam revocaverit, jam enim sibi audire videbatur: *Adolescens dico Tibi surge!* jam putabat è sarcophago filium loqui, & sibi matri reddi, stare jussis portitoribus (Manichæis & Academicis;) quin imò munificentius cœlum depluisse animadvertit, quam petere unquam ausa fuisset; Quid hic „ dicebat (d) faciam adhuc & cur hic sim „nescio, jam consumta spe huius seculi: „ Unum erat propter quod in hâc vita ali-

(d *L. IX. Cap.* 10.)

„quantum immorari cupiebam, ut te Chri-
„stianum viderem priusquam morerer „
„cumulatius hoc mihi Deus meus præ-
„stitit, ut te etiam contempta felicitate ter-
„rena servum eius videam. Quid hic fa-
cio? Cæterum Augustinus post vocem
cœlo delapsam, post intestina eaque diu-
turna bella sedata, post deploratum pejo-
ris vitæ statum, post apprehensam verâ fide
divinam gratiam & peccatorum remissio-
nem, soli Deo de cætero sese dedicavit, &
præclaram temporis posthac sanctè collo-
candi rationem instituens, omnes curas ad
Numinis arbitrium judiciumque destina-
vit, nec longè post, publicam Rhetoricæ
professionem deseruit, *nundinas* (ut ille
loquitur) *loquacitatis*, nec amplius Juven-
tuti bella forensia & mendaces insanias
vendidit, desertisque *tandem aliquando*,
profanis vanisque studiis, cum Alipio ami-
co in villam Verecundi, non admodum
Mediolano dissitam secessit, *hunc sibi* (ad
B. Hieronymi exemplum) *locum elegit o-
portunum, a& profanorum hominum com-
mercio remotum, & in eundem velut in por-
tum ex multa curarum tempestate se recipi-
ens*,

ens, excitatos cogitationum adverſarum fluctus ſecreta tranquillitate compoſuit; nec intermiſſis unquam veræ ſolidæque Pietatis ſtudiis, ad optatam tandem animi felicitatem pervenit, poſtquam ſcil. ab undevigeſimo ætatis ſuæ anno, (quo fervere cœperat Sapientiæ ſtudio) ad tricenariam ætatem non aliter fluctuaſſet, quam ſi quis è portu ſolvens, undique ventorum turbinibus quoquoverſum jactetur: aut ſi diu ob errans, omnemque navigationis proſperæ ſpem amittens, nihil conſultius putet, quam ſi ad portum unde ſolverat revertatur. Ita nempe Auguſtinus Manichæorum impetu raptus, cæcaque offuſus diu caligine, & in incerto errans, tandem illum veræ felicitatis portum (unde malè ſolviſſet) quæſivit anxiè, & cœleſti beneficio tutiſſimam ibi manſionem invenit. Atque exinde iſti Auguſtini ignes: (e) Domine ego „ſervus tuus, & filius Ancillæ tuæ; DI„RUPISTI VINCULA MEA, tibi „ſacrificabo hoſtiam laudis; Laudet Te Cor „meum & lingua mea, & omnia oſſa mea „dicant: Domine quis ſimilis Tibi? ... Quis

 ego,

(e) *Lib. IX. Conf. c. 1.*)

„ego, & qualis ego, aut quantus ego? Quid
„non mali ego? - - - Tu autem Domine
„bonus & misericors, & dextera tua respi-
„ciens profunditatem mortis meæ. Et
„rursus: Vocasti & rupisti surditatem
„meam; coruscasti & fugasti cœcitatem
„meam - - - tetigisti me & exarsi in pacem
„tuam. Placuit in conspectu tuo refor-
„mare deformia mea, & stimulis internis
„agitabas me, ut impatiens essem, donec
„mihi per interiorem aspectū certus esses.
Et quod apprimè notandum, omnium
bonorum Fonti Deo, pro immisso sibi *Ti-*
more gravissimo ingentes persolvit grati-
„as; nimirū quod in illo statu sit perculsus
„maximo METU; Nec me revocabat (in-
„quit) à profundiore carnalium voluptā-
„tum gurgite, NISI METUS MORTIS
„ET FUTURI JUDICII, qui per varias
„opiniones nunquam tamen recessit de
„pectore meo. Porrò quod spirituali quâ-
„dam lætitia in Conversionis suæ initio af-
„fectus sit, verbis disertè testatur sequen-
„tibus: (f) Quam suave mihi subito fa-
„ctum est carere suavitatibus nugarum.

Eji-

(f) *Lib. IX. Conf. cap. 1.*

„ Ejiciebas enim eas à me tu, & intrabas
„ pro eis omni voluptate dulcior, &c.
„ Jam liber erat animus à curis mordacibus
„ ambiendi & acquirendi & volutandi, at-
„ que scalpendi scabiem libidinum. Omnes
denique ut eadem via secum *spreta vanita-*
te ad Deum tenderent, affectu pientissimo
commonuit, Regiique Vatis carmine pro-
fanæ Sapientiæ cultores frequenter com-
pellavit: *Filii hominum, usq; quo gravi cor-*
de? Ut quid diligitis vanitatem, & quæri-
tis mendacium? Scitote quoniam Dominus
mirificavit Sanctum suum. Dilexeram
ipse, pergit ibid. (g) *vanitatem*, NB. & quæsi-
„ eram mendacium; Et tu Domine jam
„ magnificaveras sanctum tuum, suscitans
„ eum à mortuis, & collocans ad dextram
„ tuam, unde mitteret ex alto promissio-
„ nem suam, Paracletum, Spiritum verita-
„ tis; & miserat eum jam, *sed ego nescie-*
bam. Ut enim ingeniosior ante conversio-
nem suam erat Augustinus, ita infantior
in salutis negotio; ipseque inter doctos
doctissimus ferè cecidisset, nisi vox divina,
Tolle, lege, tolle lege, currentem sufflami-
nasset,

(g) *Lib IX. c. 4.*

nasset, atque cum Basilio in PIETATIS Dogmata feliciter introduxisset.

IV.

SEd Quartum nunc accedamus Magistri tam egregii Discipulum, atque singulare Gymnasii huius Sacrosancti ornamentum; Id D. HILARIVS PICTAVIENSIS est, de cuius Juvenili in devorandis literis secularibus ardore, flagrantissimo (ante conversionem suam) profanæ Sapientiæ studio, & longe lateque exundantis eloquentiæ flumine, quilibet calculum ferre poterit ex eo, quod insignis Hilarii æstimator Hieronymus (h) eum *Latinæ Eloquentiæ Rhodanum* dicere non dubitaverit, cum tanquam flumen illud totius Galliæ rapidissimum Sapientiæ suæ eloquia emiserit; nec minus in sua ad Paulinum Epistola idem Hier. de eodem scripserit: *Gallicano Cothurno attollitur, ET cum GRÆCIÆ FLORIBUS ADORNETUR, longis interdum periodis involvitur, &c.*; Et in Epist. ad Romanum Oratorem Hilarium Quintiliani libros & stilo & numero imita-

(h) *Præf. super Ep. Pauli ad Galat.*)

imitatum fuisse existimaverit: Frequenter enim (Erasmo notante) ad floridam quandam ac theatricam assurgit sublimitatem, præsertim quum incidunt loca quæ facilè splendescunt tractata. Dubium itaque nullum est, Hilarium etiam *multum temporis infatuatæ à Deo Sapientiæ tribuisse, & omnem prope juventutem* (cum Basilio) *inani attrivisse studio*; Verum velut ex gravi somno *Tandem aliquando* divina gratia expergefactum ad Evangelicæ veritatis admirabile Lumen respexisse, & deplorata vita sua miserabili, sæpe laudatum ad Pietatis dogmata Manuductorem exoptasse. Ipse equidem in primo de Trinitate libro disertè commemorat gradus, quibus ad veri Dei cognitionem & cultum pervenerit; Antequam scil. Religioni nomen dedisset, se de optima vivendi ratione seriò cogitasse, statimque repudiasse vitam in otio & opulentia transactam, quia indignum esset, homines in ventris & naturæ officium se natos arbitrari, magis autem aliorum sibi arrisisse placitum: Bene vivere nihil aliud esse quam benè agere atque intelligere; vitam autem ipsam non ad mor-

mortem tantum ab immortali Deo tribui existimandum: cum boni largitoris non esse intelligeretur vivendi jucundissimum sensum, ac tristissimum sensum tribuisse moriendi. Quia tamen hæc doctrina convenientia tantum humano sensui præcepta statueret; quæ cum (inquit) non intelligere belluinum esset, intellecta tamen non agere, ultra belluinæ immanitatis esse rabiem videretur, hinc animum suum festinasse tanti muneris (sc. vitæ) Deum parentemque cognoscere, cui se totum ipse deberet, cuius famulitio se nobilitandum existimaret, ad quem omnem spei suæ referret opinionem: in cuius bonitate inter tantas præsentium negotiorum calamitates, tanquam tutissimo sibi in portu requiesceret. Ad hunc igitur vel intelligendum vel cognoscendum studio flagrantissimo sese accensum fuisse. Posthæc præclarus iste Sacrosanctæ Disciplinæ alumnus Hilarius aperuit, quibus gradibus ad Rerum divinarum cognitionem pervenerit; Primò enim repudiata omni doctrina Idololatrarum (quam quinque modorum fuisse declarat) cum non nisi unum Deum pro certo

certo haberet, ait se in Libros Mosis incidisse, & locum Exod. III. *Ego sum qui sum & qui est misit me ad vos*; Admiratus sum, inquit, plane tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur.. Non enim aliud proprium magis Deo quam *esse* intelligitur &c. Qua prima cognitione inescatus Hilarius, amplius desideravit intelligere, cuiusnam esset magnificentiæ & virtutis? cum forte fortuna in locum Esa. 66. incidit, ac ibidem hunc insignem de Deo sermonem audivit: *Qui tenet Cælum palmo & terram pugillo*; & rursum: *Cælum mihi thronus est; terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum mihi ædificabitis, aut quis locus erit requietionis meæ? nonne manus mea fecit hæc?* In quibus verbis intelligens Hilarius magnitudinem Dei, qui intra & extra & supereminens & internus, & idem circumfusus & infusus, cum palmo pugilloque continens potestatem naturæ exterioris ostenderet, & intus insidendum thronum & scabellum monstraret; Quod enim à nobis

bis, inquit, piè intelligeretur, tamen à Propheta hæc ita dicente manifestè confirmabatur: *Quò abibo à Spiritu tuo, aut à facie tua quo fugiam &c.* Nullus sine Deo, neq; ullus non in Deo locus est, in cœlis est, in inferno est, ultra maria est, interior est, excedit exterior, ita cum habet atque habetur, neque in aliquo ipse, neque non in omnibus est. Amplius his delectatus cogitationibus Hilarius, agnoscere desiderabat infiniti & æterni sui Domini speciem, siquidem pulcherrimum eum esse è Propheticis vocibus apprehendit. De magnitudine enim operum & pulchritudine creaturarum Conditor inspicitur. Magnorum, inquit, Creator in maximis est, & pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est. Et cum sensum ipsum supergrediatur operatio, omnem tamen sensũ longè necesse est excedat Operator. Sic ergò Ipsum etiam supra omnem pulchritudinem esse intellexit. His itaque piæ opinionis atque doctrinæ studiis imbutum animum, IN SECESSV QVODAM (NB.) ac specula requievisse memorat, & nil quicquam aliud à natura sua sibi relictũ ed-

cognoviſſe, in quo majus officium præſtare Conditori ſuo poſſet, quam ut tantum eum eſſe intelligeret & crederet, quantus & intelligi & credi poſſit; Suberat (ita porrò notanter addit) omnibus his naturalis adhuc ſenſus, ut PIETATIS profeſſionem ſpes aliqua incorruptæ beatitudinis aleret; quam Sancta de DEO opinio, & boni Mores, quodam victricis militiæ ſtipendio emerentur. Neque enim fructus aliquis ineſſet benè de Deo opinari: cum omnem ſenſum mors perimeret, & occaſus quidam naturæ deficientis aboleret. Fatigabatur autem animus partim ſuo, partim corporis metu: qui cum & conſtantem ſententiam ſuam pia de Deo profeſſione retineret, & ſolicitam de ſe atque hoc occaſuro (corpore ſc.) ſecum, ut putabat habitaculo ſuo curam recepiſſet, poſt cognitionem Legis & Prophetarum, iſtiuſmodi quoque DOCTRINÆ EVANGELICÆ atque Apoſtolicæ inſtituta (h. e. ſalvificæ fidei dogmata) cognoſcit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum &c. Quod factum eſt, in eo vita erat,*

& vita erat Lux hominum &c. Quo ipso Hilarius clarissimè indicavit, se non minus quam Basilium ex gravi somno tandem expergefactum, ad Evangelicæ Veritatis admirabile Lumen respexisse, & agnita Mundanæ sapientiæ vanitate, *animum eius partim suo, partim corporis METU fatigatum*, h. e. Timore Daducho in Pietatis dogmata introductum fuisse. Hic jam (porro scribit Hilarius) Mens TREPIDA ET ANXIA (sive Timore sacro perculsa) plus spei invenit quam expectabat. Ac primum ad cognitionem Dei Patris imbuitur. --- Rarissimam deinde huius salutaris cognitionis fidem esse, sed maximum præmium noscit: quia & sui non receperunt, & *recipientes in filios Dei aucti sunt, non ortu carnis, sed FIDEI.* --- Hanc itaque divini Sacramenti doctrinam mens læta suscepit, & in novam nativitatem per fidem vocata, & ad cœlestem regenerationem obtinendam potestati suæ permissa, curam in se Parentis sui Creatorisque cognoscens, non in nihilum redigendam se pereum existimans, per quem in hoc ipsum quod est, ex nihilo substitisset.

Hunc

Hunc itaq; in modum ad veram solidamque Pietatem, à profanæ scientiæ vanitate conversus Hilarius, respuit captiosas (quæ ipsissima eius verba sunt) & inutiles, constante fide, Philosophiæ quæstiones, neque humanarum ineptiarum fallaciis succumbens, spolium porrò se præbere voluit falsitati: non secundum communis intelligentiæ sensum Deum retinens, neque de Christo secundum Mundi elementa decernens, sed in eum firmiter credens, cuius morti in baptismo consepeliremur, ut in æternitatis vitam rediremus, dum regeneratio ad vitam mors esset ex vita, & *morientes vitiis*, immortalitati renasceremur, ipso pro nobis ex immortalitate moriente, ut ad immortalitatem una cum eo ex morte excitaremur. Neque verò hæc sibi ipsi solum, verum aliis quoque prædicavit Hilarius, cum Pictaviensis Ecclesiæ esset Episcopus, nec dum Ariana hæresis Orbem Christianum subverteret. Sic enim ipse de se loquitur post istam narrationem: *In hoc ergò conscia securitatis suæ mens, spebus suis læta requieverat: intercessionem mortis huius usq; eo non metuens, ut etiam reputaret*

in vitam æternitatis --- Quin etiam id quod sibi credebat, tamen per ministerium impositi Sacerdotii ETIAM CÆTERIS PRÆDICABAT: *munus suum ad officium publicæ salutis extendens*; nimirum verus atque Christianus Philosophus effectus Hilarius, profanarum atque miserarum etiam animarum curam gerere, easque ad Dei Opt. Max. cognitionem, & ad seriæ Pietatis exercitia deducere omni studio allaboravit.

V.

QUintum Sacræ huius Introductionis vestigium DIVI JOHANNIS CHRYSOSTOMI commonstrat historia, clarissimèque indicat, eum pariter ac Magnum illum Basilium, omnem propè Juventutem inani attrivisse studio, & præter Andragathium Gentilem Philosophum, ipsum Libanium Sophistam (insigniter impium Rhetorem) Præceptores habuisse, imò tantoperè *infatuatam à Deo Sapientiam* excoluisse, ut Libanio ac aliis sumis istius ævi oratoribus profanis esse cœperit admirationi; Sic etenim Isidorus Peluf. (Chrys. discipulus,) in sua ad Ophelium Grammaticum

„ maticum Epistola: JOHANNIS lin-
„ guam (notanter scribit,) dictionisque
„ venustatem, non aliis dico (parvum e-
„ nim hoc fortasse apud multos esset) sed
„ ipsi Libanio, qui apud omnes in eloquen-
„ tia præclarissimus habetur, *magnæ admi-*
„ *rationi* fuisse, indicio est Libanii ipsius
„ epistola, ad illum etiam tum Juvenem,
„ cum orationem in Imperatorum laudem
„ habuisset, scripta, ea sic habet:

LIBANIUS IOHANNI.

„ Orationem tuam prolixam & pul-
„ chram accepi, & Viris qui & ipsi oratio-
„ nes scribunt legi. Nullus in eis fuit, qui
„ non exiluerit, & vociferatus sit, eaque
„ omnia fecerit, quæ per stuporem con-
„ sternati solent. Me illud delectat, quod
„ dicendi artem, quam agendis in foro
„ causis exhibere potuisti, ad huius genus
„ orationis conferre malueris, teque bea-
„ tum judico, qui tantoperè Principes lau-
„ dibus ornare potueris, nec minus fortu-
„ natos illos esse puto, quod laudatorem
„ talem sint consecuti. Hæc Libanius. Et
„ porro Isidorus l. a. scribit: Quod si Plu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [73] - 69 PUBLIC DOMAIN

„tarcho in hac re credendum est, multis „modis omnes alios oratores præclarus „superat JOHANNES, qui in oratio„nibus suis sic Atticismum refert, & per„spicuitatem sermonis retinet, ut nesciam „an alius quisquam magis retineat; cui „consentiens Annanus per vetustus Chryso„stomi interpres, in eo insignē dicendi fa„cultatem collaudavit. His itaq; profanæ Sapientiæ studiis posteaquam multum temporis ille impendisset, TANDEM ALIQUANDO & ipse divinæ gratiæ radiis collustratus, ac veluti ex gravi somno expergefactus, ad Evangelicæ Veritatis Lumen respexit, & ante capitis canos mentis canitiem induens, ad divinarum literarum cognitionem & VERÆ FIDEI SERIÆQUE PIETATIS STUDIUM animum applicuit, non Andragathium Philosophum, non Libanium Sophistam, sed *TIMORIS Spiritum* exoptans, qui sublimis huius Philosophiæ rudimenta doceret, atque conquisitas Ægyptiorum opes, ad Templi Dominici structuram applicaret. Sed ipsum quoque Beatissimum Virum de Sacra hacce informatione

matione differentem audiamus: *Miserere nostri Domine, miserere nostri; quoniam multifariam repleti sumus despectione. Hæc sunt* (inquit Chrysost. in priori ad Theodorum lapsum paræneſi,) DIVINÆ DISCIPLINÆ, ET SUPREMÆ PHILOSOPHIÆ VERE DOGMATA; *Quæ verò ei prima fundamenta ponentur?* (ita in I. de Cordis compunct. libro quærit os illud aureum, statimque respondet:) *Ego non alia puto huic digna esse fundamenta & principia, nisi verba Domini nostri Iesu Christi, quibus luget quidem videntes,* BEATOS AUTEM DICIT LUGENTES: *Ita enim ait in Evangelio: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*; &, *Væ his qui rident nunc, quoniam ipsi lugebunt & flebunt*; Et „meritò: Lugendum enim est (pergit ibid.) „& verè lugendum præsentis vitæ tem„pus, in quo tantam malorum labem, „tantaque quotidie flagitia videmus cu„mulari: quæ si velis considerare singula, „nunquam poteris à lachrymis temperare. „Sic enim omnia confusa, sic sunt cuncta „resoluta, ut ne vestigium quidem virtu-

» tis usquam videas; nequitia verò & lu-
» xuria repleta esse cuncta perspicias: &
» quod est infelicius, perurgentium nos
» malorum jam nec ipsi sensum capimus,
» nec alios monemus: sed sumus velut
» corpus extrinsecus quidem indumentis
» adornatum, intrinsecus verò tabe pessi-
» mi languoris absumptum: & contingit
» nobis quod illis solet, qui vel phrene-
» sin patiuntur, vel mente capti sunt, à
» quibus cum multa turpia & periculosa
» vel dicantur, vel etiam gerantur, nec pu-
» doris tamen aliquid, nec pœnitudinis ca-
» piunt, quinimò & magnifici sibi & sapi-
» entiores sanis videntur & sapientibus. Ita
» & nos, cum omnia quæ sanitati contra-
» ria sunt geramus, nec hoc ipsum quidem
» quod deest nobis, sanitatem nominamus.
» At enim si fortè in corpore parum ali-
» quid morbi pulsaverit, statim & medi-
» cos adhibemus, & pecunias profundi-
» mus, & omni observantia quod compe-
» tit gerimus, nec prius cessatur, quam
» quæ molesta sunt mitigentur; Anima
» verò cum quotidie vulneretur, cum per-
» singula lanietur, uratur, præcipitetur,
& mo-

„ & modis omnibus pereat, ne parva qui-
„ dem pro ea nos cura ſollicitat, ſed ho-
„ rum omnium cauſa illa eſt, quod omnes
„ pariter hic morbus obtinuit. --- Ete-
„ nim ſi quis extrinſecus undecunque adeſ-
„ ſet, & præceptorum Chriſti ac noſtræ
„ converſationis confuſionem ac pertur-
„ bationem videret; neſcio an alios magis
„ ullos quam nos inimicos eſſe, & contra-
„ rios præceptorum Chriſti judicaret, &
„ quaſi qui ſtudium quoddam habuerimus
„ contraria in omnibus gerere, quam ille
„ mandavit. --- Et ideò lugendũ eſt, & ideò
„ flendum, & per totam vitam plangen-
„ dum, ut vel ſic occupata in luctu & la-
„ chrymis anima erubeſcat aliquando pec-
care &c. Hæc & multa alia ad ſeriam cor-
dis compunctionem, atque ſaluberrimam
Timoris manuductionem pertinentia D.
Chryſoſtomus prolocutus, inſignem eti-
am fidei in Chriſtum ſalvificæ fructum,
novæ ſcil. obedientiæ ſtudium, miram-
que animorum *eruditorum* converſio-
nem verbis ſequentibus indicavit: Ita ex
omni parte anima transfertur ad philoſo-
phiam, ut delitiarum atque ſuavitatum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [77] - 73 PUBLIC DOMAIN

vitæ huius ne ratio quidem ulla habeatur; imò potius si quid prius delectabile visum est, si quid gratum, id nunc amarissimum & odibile ducitur. Nullus famulorum, sed ne amicorum quidem quisquam & familiarium, aliquid in auribus ei loqui audebit de his, quæ huic vitæ esse videntur necessaria, sed tantummodo de humanarum rerum caduco & fragili statu, de incertis vitæ huius & lubricis rebus sermo habetur, & varietas ac mutabilitas mortalis vitæ philosophicis assertionibus exponitur, atque omni ex parte anima PER DOLOREM LUCTUS, tanquam in quodam sacrario collocata, *novis nunc de natura humana imbuitur disciplinis*; ut agnoscere incipiat & sentire præsentis seculi fragilitatem, quam instabilis sit, & quam citò fugiat omne quod in eo magnum videtur: quamque fluxus & corruptibilis sit Mundi status; utique omnia tanquam in scena agantur & mimo. Et quidem tunc verè miseræ & probrosæ apparent divitiæ, tunc fœda videtur jactantia. Invidia verò, & ira, & concupiscentia, ne ad extremas quidem januas lugentis accedit, sed

ſed hæc omnia fugantur, omnia exterminantur, ita ut ne odor quidem horum ullus occurrat. Una ſola cogitatio lugenti, unus intuitus, imago defuncti eſt --- Iſta ſunt (porrò ſcribit Chryſoſt.) in quibus placetur DEO; *Non enim requirit ciliciorum pondus, neq; concludi inter anguſtias cellulæ, neq; in obſcuris antris & tenebroſis ſedere jubet, hoc ſolum eſt quod expoſcitur à nobis, ut ſemper recordemur & ad animum revocemus mala noſtra, & conſcientiam geſtorum noſtrorum habeamus ante oculos, ut pro his ſupplicemus Deo, ut gehennam ponamus in conſpectibus noſtris, & angelos qui in die judicii ubiq; diſcurrunt & congregant de omni Orbe terrarum eos, qui trudendi ſunt in gehennam, ac tradendi ſuppliciis.* Ita in primo de Compunctione cordis libro præclare Chryſoſtomus; in ſecundo autem Sacræ huius Diſciplinæ alumno apprimè *Seceſſum* commendat, piamque ſolitudinem, „Oportet ergò (inquit) boni huius volen-„tem adire principia prius animo & men-„te ſecedere ab omni perturbatione ac flu-„ctuatione viſibilium, atque ad illa con-„ſcendere & penetrare ſilentia, ubi quies ſum-

„ſũma tranquillitas jugis, pura ſerenitas „
„& nihil prorſus quod moveat, nihil quòd
„intentum ſollicitet animum, aut indagi-
„nem cogitationis irrumpat; ſed ſit im-
„mobilis oculis mentis, & in deſiderium
„Dei tota intentione defixus, ſit auditus
„ſilens, quietus, intentus, in hoc ſolum
„directus, ut audiat Verbum Dei, & con-
„ſona divinorum ſenſuum modulatione
„lætetur, cuius tanta vis eſt, ut ſi ſemel
„obtinuerit animam ac poſſederit, neque
„cibum ultra neque potum neque ſom-
„num requirat; Hoc ergò eſſe decet a-
„nimæ inſtitutũ, volentis de compunctio-
„ne cordis vel dicere aliqua, vel capere, ut
„aliena ab omni perturbatione & ſolici-
„tudine vitæ huius effecta, SPIRITU-
„ALIS PHILOSOPHIÆ altitudi-
„nem, & cœleſtis puritatis verticem tene-
„at, quo nequaquam poſſit ab aliquo ſenſu
„eorum quæ geruntur in terris omninò
„pulſari. Quandoquidem verò maxi-
mum hoc Pietatis ſeriæ ſtudium huma-
nas vires longiſſimè excedat, & pro-
pria diligentia ſupremæ huius Sapientiæ
habitus acquiri neutiquam poſſit, ea prop-
ter

ter Divinam opem assidue implorandam esse, Chrysostomus verbis commonuit se-
„ quentibus: Tu autem precare eum qui
„ sanat contritos corde, & qui dat affli-
„ ctis patientiam, quique erigit de terra
„ inopem, ut ipse in nobis accendat *ignem*
„ *illum*, per quem possit omnis infirmitas
„ animæ decoqui, & omne quod aggravat
„ corpus exuri, quo subnixa pennis suis
„ anima tendat ad cœlum: utpote levior
„ reddita, atque in illo vertice posita intu-
„ eri de altissimis sedibus, & despicere pos-
„ sit universam vitæ huius, quæ in terris
„ agitur, vanitatem. Nisi enim quis ad il-
„ lam celsitudinem volatu animæ, *divino*
„ *munere* conscenderit, non poterit terram
„ despicere, neque ea quæ in terris gerun-
tur. Denique sollicitè efflagitavit Chryso-
stomus, ut non tam de Sacræ huius philo-
sophiæ studio sermones egregios habea-
mus, quam facto & opere ipso eam præ-
stemus, nec tam loquamur cordis compun-
ctionem, quam patiamur, *quoniam docere & non facere, non solum lucri nihil, sed etiam damni plurimum conferre soleat.*

Inter

VI.

INter eos autem qui non ſolum egregiâ de cordis compunctione atq; ſeria ad Pietatem introductione verba fecêre, verum proprio eandem exemplo docuere, magnum etiam in priſca Eccleſia nomen D. EPHRÆM SYRUS, Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus obtinuit; cuius ſummæ laudi gloriæque tribuendum, *quod* (Gregorio Nyſſeno teſte) *præter divinitus conceſſæ Sapientiæ latices, artes quidem atq; diſciplinas adrectè ornateq; dicendi rationem & ad DOCTRINÆ SUBTILITATEM pertinentes hauſerit; verum TANDEM etiam REIECTIS VANIS ſtultisq; Rebus, verâ ſeriamq; exercuerit PIETATEM;* „ Et cũ (pergit Nyſſ.) talibus cogitationibus „ ſemper occuparetur, Mundum & quæ„ cunque in eo ſunt effugerit, *& procul re„ cedendo fugiens, aliquandiu manſerit „ in ſolitudine, DEO & ſibi Ipſi vacans*, re„ ctaque cognoverit, eos qui ſolitariam „ vitam amplectuntur, ex turbulentis ſe„ culi huius perturbationib⁹ atq; procellis „ liberari, & ad quietis tranquillitatisque por-

portum feliciter pervenire; Ad hunc scil. sollicite D. Ephræm aspiravit, atque cum Basilio sibi Ductorem dari optavit anxiè, divinâque gratia etiam TIMORIS SPIRITVM obtinuit; uti insignis illius de Animi Timore sermo, (Tomo primo Opp. fol. 69. occurrens) clarissimè indicat: *Coram Domino* (ait D. Ephræm) *constitutus vehementer contremui & expavi, præsertim dum formidabilia illa Domini verba, maximam q; animæ meæ confusionem at q; turbationem animadverterem*. *Unde defecit præ TIMORE at q; confusione anima mea, cogitabam q; ubi me absconderem, quod tantam ignominiam ferre nequirem, dicebam q; apud me: Venite montes & me peccatorem ac impium operite. Et demisso capite confusus, alta voce me ipsum deflere lamentabiliter cœpi, dicens: Cur ex utero matris prodii, ut Dominum meum Sanctum & bonum at q; misericordem exacerbarem? Cur conceptionem in utero matris, & corporis incrementū, donaque cœlestia, ac sancta gratiæ Tuæ remedia, quæ dedisti Domine, contempsi? Flens tamen procidi, & cum planctu ac dolore cordis mei illacrymans rogavi & exclamavi: Exaudi Domine*

Domine fletum meum, & suscipe verba deprecationis meæ, quæ ego peccator TIMORE *perterritus, coram Te loquor, clementissime, mitissime & misericordissime Domine, ne feceris mihi obsecro secundum cuncta opera mea; neq; memineris iniquitatum mearum, quibus ego gratiam tuam, benignissime Domine irritavi. Tantum mihi peccatori, hominum amator optime, temporis concede, ut pœnitentiæ spacium habeam. Gratia tua, quæ delicta juventutis meæ tulit, & senectutis nunc errata perferat --- Tu qui corda scrutaris & renes hominum, nostras q; cogitationes perspicis, nosti me acerbissimo animi dolore coactum, ista ausum in conspectu tuo eloqui. Respice ô Christe Salvator fontes lachrymarum mearum, contritiones q; ac gemitus indignæ meæ animæ. Veniat præceptorum tuorum jussio, & me protegat, antequam formidabili jussu tuo imparatus atque confusus deprehendar. Quamobrem supplico Domine, ut veræ pœnitentiæ spatium mihi largiaris. Suggerit mihi quotidie viam salutis, & nunquam non me ad vitam trahit Salvator meus, ut salvus fiam. Quoties in mentem mihi venit illius diei hora, in qua me repente* TIMOR

MOR hic invaſit, totus horreo, lacrymor ac ingemiſco; ita Reverendi huius Magiſtri inſignis Diſcipulus D. Ephræm Syrus, in cuius operibus cæteris (præſertim tribus de Compunctione Sermonibus, ad pietatem exhortatione, ſuiq; ipſius reprehenſione,) multa & egregia ad noſtrum propoſitum, & pietatis ſinceræ exercitium apprime pertinentia inveniuntur. Neque ſilentio prætereundum, quod de egregio hoc hominis eruditi ſtudio, Compunctione ſcil. acturus, primum de ſe ipſo haud injucundam præmiſerit narrationē, quomodo ſcil. Ipſe, ſublatis in cœlū oculis, ex ſydereo fulgore mentem altius in admirationem & contemplationem incredibilis illius lucis traduxerit, qua multò magis olim fulgebunt, qui Divinæ voluntati obtemperarunt: Edeſſena (inquit) ex Urbe benedictâ quodam diluculo ſurgens, cum duobus fratribus egreſſus ſum, ſublatisque in Cœlum oculis, ſimile illud ſpeculo nitidum, aſtriſque ornatum ac ſuper terram cum gloria fulgens adſpiciebam. Ego verò cum admiratione tacitus iſta revolvens, ſi hæc inquam tanto cum decore reſplendent,

& Sancti divinæ obtemperantes voluntati, in hora illa, quando ad judicandum Dominus venerit, quanto magis in gloria Salvatoris, ineffabili luce fulgebunt? Subito autem in memoriam mihi venit terribilis ille Christi adventus, unde contremuerunt ossa mea, corporeque & anima totus exhorrui. Atque sic concussus & perturbatus, magno cum dolore cordis flere cœpi & ingemiscendo dixi: Quomodo ego peccator in illa hora terribili ac formidanda inveniar? Quomodo ego coram tribunali tunc tremendi Judicis adstabo? Quomodo ego elatus & superbus cum justis atque perfectis consistam? Quomodo ego arbor infructuosa, cum justis & sanctis illis, qui in hac vita justitiæ fructum tulerunt, collocari potero: aut quando se mutuo in aula illa cœli cognoscent justi, quid tunc faciam miser? quis me tunc agnoscet, in cœlesti tunc thalamo justi videbuntur, & in igne æterno impii. Tunc Martyres rursus sua ostendent tormenta, suasque virtutes religiosi viri confessoresque. Sed infelix ego, quid ostendam? nisi socordiam & negligentiam meam; *O Anima superba atque*

que elata! ô anima peccatrix! ô anima imprudens! *O anima quæ vitam tuam semper ostentasti!* quamdiu rerum terrenarum cupiditate traheris? quamdiu prava improbarum cogitationum consuetudo in Te dominabitur? an ignoras malis cogitationibus singulis horis fieri, ut quadam erroris caligine mens obducta, viam non reperiat, qua se convertat ad Dominum? Quomodo aliis, ipsa cœca, lumen præbere poteris: prius ergò Tibi ipsi medere anima, & postea aliorum sanitati attende: Nullam socordiæ Tuæ excusationem habebis. Cuncta enim Tibi necessaria largitus est benignissimus Deus, judicium, intellectum, prudentiam & cognitionem rerum spiritualium. --- Semper DEI Gratia corda nostra visitat, & si locum invenerit, ingreditur, semperque in anima nostra quiescit; sed si cor immundum offenderit, illico recedit. Rursusque misericordia tactus, cogit eam ad nos peccatores invisendos venire, quoniã omnes mutabiles sumus, elati semper invenimur & segnes, invidi & improbi, mala alii contra alios assidue cogitantes, pravisq;

ac lascivis & impudicis cogitationibus oblectantes, in iisque velut in fœtidissimo vitiorum cœno perpetuo jacemus. Unde fit ut cum ad nos visitandos gratia ingredi cupiat, improbarum cogitationum fœtorem turpissimum in cordibus nostris reperiat, quare illicò recedit, cum locum introeundi, ac quiescendi in nobis, sicut volebat nõ inveniat. Veruntamen cor nostrũ dulcedine luminis sui pulsat, ut resipiscat & intromittatur ipsa, ut sic lucis dulcedine allectus homo, ipsam inquirat; nequit enim penitus nós gratia deserere, à propria ipsius benignitate eò adigitur, ut *omnium nostri* misereatur. Cernis providentiam Dei? Cernis Christi in nos pietatis viscera? quanto desiderio salutẽ nostram sitiat, & quantoperè nos salvari cupiat? fœlicem atque beatum illum, qui purum semper cor divinæ gratiæ servare studet, ut cum ad introeundum venerit, offendens in eo suavissimum odorem virtutum, atque animæ suavitatem, seculis omnibus ibi mansionem faciat, &c. Hæc & similia D. Ephræm prolocutus, pia tandem precatione sermonem suum finiit, suaque peccata deplorando,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [88] - 84
PUBLIC DOMAIN

rando, & ad divinæ misericordiæ viscera recurrendo, maximum illud Hominis eruditi studium felicissimè absolvit.

VII.

NEque verò tot inter illustria priscæ Ecclesiæ Lumina silentio prætereundus est Sanctus ille Stridonensis HIERONYMUS, neque postremus ei in Sacro hocce Collegio locus est assignandus, cum Ipse quoque post acquisitam indefesso labore omnigenæ eruditionis copiam, post navatam Donato in Grammaticis, Victorino in Rhetoricis, Barrabano Judæo in Hebraicis strenuam & diligentem operam, insignis tandem *Sacræ illius Philosophiæ* cœlestisque Sapientiæ cultor evaserit, meritissimo propterea longæ posteritatis elogio celebratus. Quodsi v. omnino illa siluisset, ipsa sane egregii huius Doctoris monumenta loquerentur, cum & nullum doctrinæ genus intactum reliquisse, & post apprehensam Aristotelicam, Platonicam, Stoicam, ac cæterorum omnium Gentilium philosophiam, supremam in *Christiana* lauream consecutum fuisse. Quo autē facilius atq;

expeditius se totum Sacro huic dedicaret studio, de SECESSU apprimè cogitavit, *suos q; Romæ tumultus* relinquens, ab invidiæ etiam turbis infestatus, in semotissimã solitudinem sese abdidit, quæ Syriam à Saracenis disterminat, post longa tandem viarum emensa spacia Bethlehemũ accessit, & Natale Salvatoris solum venturæ senectuti sedem delegit. *Protinus* (ait ipse in sua adverſ. Ruff. Apol.) *concito gradu Bethlehemum meum reversus sum, nec me inerti tradidi otio*, nimirum ibi ab hominum frequentia semotus, cum solo Christo cumq; libris habebat commercium, totisque (ut ajunt) nervis agebat, ut ibidẽ egregium illud Christianæ PIETATIS exemplar absolveret. Primum TIMORE agitati erat studium, adolescentiæ lapsus agnoscere, seriòque deplorare vitæ anteactæ miseriam; *Scitis* ipsi (scribit in 43. ad Chromatium Epist.) *lubricum adolescentiæ iter, in quo & EGO LAPSUS SUM, Et vos non sine timore transistis.* Igitur quia „ erravimus Juvenes (idem inquit alibi) „ emendemur senes, jungamus gemitus, & „ lachrymas copulemus, culpam simpliciter

» citer confitendo; Nam qui post lapsum
» peccatorum ad veram pœnitentiam se
» convertit, cito à misericorde judice ve-
» niam impetrabit, quoniam apud Deum
» non tam valet mensura temporis, quam
» doloris, nec abstinentia tantum ciborum,
» quantum mortificatio vitiorum. Et rur-
» sus: Nihil (inquit) tam repugnat Deo
» quam cor impœnitens. Hoc solum cri-
» men est, quod veniam consequi non po-
» test --- imò de nullo sic irascitur Deus,
» quomodo si peccator superbiat. Et ere-
» ctus & rigidus non flectatur in fletum, nec
» misericordiam pro delicto postulet. Nihil-
» que sic offendit Deum, sicut erecta cer-
» vix post peccata, & ex desperatione con-
temptus &c. ita Hieron. Cui etiam in 38.
ad Theodos. Epistola, immissus à Deo Opt.
Max. Timoris spiritus verba dictavit se-
» quentia: Ego ita sum quasi à cuncto gre-
» ge morbida aberrans ovis, quod nisi me
» bonus Pastor ad sua stabula humeris im-
» positum reportarit, lababunt gressus,
» & in ipso conamine vestigia concident
» assurgentis. Ego sum ille prodigus filius,
» qui omni, quam mihi pater crediderat,

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [91] - 87

„portione profusa, nec dum me ad geni-
„toris genua submisi, nec dum cœpi prioris
„à me luxuriæ blandimenta depellere. Et
„quia paululum non tam desivi à vitiis,
„quam cæpi velle desinere, nunc me
„novis diabolus ligat retibus. Item in quin-
„ta ad Florent. epist. Ego cunctis peccato-
„rum sordibus inquinatus, diebus ac no-
„ctibus opperior cum tremore reddere no-
„vissimum quadrantem, sed tamen quia
„Dominus solvit compeditos, & super
„humilem & trementem verba sua, requi-
„escit, forsitan & mihi in sepulchro scele-
„rum jacenti dicat: HIERONYME VENI FORAS! Dixit equidem, & Hieronymum è peccati sepulchro extractum, gratiaque sua beatum, cum Magno Basilio IN PIETATIS seriæ DOGMATA INTRODUXIT. Quibus egregiè imbutus, omni neglecta seculari vanitate, Deo duntaxat vivere, suæque militiæ finem (ut ipse loquitur) non terræ & temporis, sed Cœli & æternitatis regnum esse voluit, nihilque amplius præferendum duxit ei, qui verus est Dominus & verus Pater, & Imperator æternus: Cui enim (ita præclarè pergit Hieron.)

ron.) rectius vitam noſtram impendimus, quam illi à quo ipſam accepimus, & cui eã uſque ad finem debemus, quia ipſius beneficio vivimus? Unde ſi maluerimus Cæſari militare quam Chriſto, poſtea non ad Chriſtum ſed ad gehennam transferemur; igitur nec affectum, nec Patriam, nec honores, nec divitias præferre debemus, quia ſcriptum eſt: Præterit huius Mundi figura: Et qui hunc Mundum dilexerint, cum Mundo peribunt. Illi ergò militemus, qui militantibus ſibi gloriam Vitæ æternæ, honorem regni Cœleſtis, divitias hæreditatis ſuæ, & divinæ cognitionis conſortium perenne largitur. Nam nullus Rex terrenus, totius Orbis Dominus eſt, Chriſtus autem totius Mundi Rex eſt: quia omnia per Chriſtum facta ſunt. Et quia Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; talis violentia DEO grata eſt, quæ neminem concutit, nullius damno nititur. In hanc rapinam manus tuas mitte, quæ crimen non habet. --- Sollicitudines enim noſtræ carnales quanto chariores ſunt, tanto plus nos diſcruciant, & fatigant. Ac proinde nun-

quam in carnalibus affectionibus ita requiescit animus, ut cruciatu careat, dum necessitudines suas, aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto, in utroque fustinendis miseriis semper obnoxius est. *Commuta ergò in melius vitam tuam*: ut æterno Deo incipias militare, & Deum habeas protectorem. Hæc aliaq; plurima pietatem solidam spirantia, ille Sapientiæ Christianæ alumnus præclarè inculcavit, nec proprio minus exemplo, quam verbis docere allaboravit, ipse sibi rigidus exactor christiani officii, & instantissimus efflagitator; Ne quid obstreperent affectus cœlestem vitam meditanti, tempus vitæ reliquum studiis & orationibus partiebatur, bonam etiam noctium partem his operis addens, minimam portionem dabat cibo & somno, nullam otio: Studii lassitudinem recreabat hymno aut deprecatione, mox velut integer ad intermissam redibat lectionem, Sacras literas ad verbum ferè ediscebat, meditabatur in Prophetis, in eruendis oraculorum mysteriis vigilantissimum se præbebat. Ex Evangelicis & Apostolicis literis velut ex puris-

riſſimis fontibus, Chriſti philoſophiam hauriebat. O felicem itaque Hieronymi ſeceſſum! O vere beatam ſolitudinem! qua nullum vitæ genus ſibi jucundius fuiſſe ipſe alicubi pronunciavit, nec Romanas amplius delicias deſideravit, cum ſibi non in ſeceſſu verſari, ſed ipſis angelorum choris intereſſe videretur, nec Ciceronianus deinceps magis quam Chriſtianus (nocturnis pro tribunali divino plagis emendatus) eſſe, vel ſecularibus ſtudiis plus nimio indulgere conſtituit.

VIII.

AD Magnum denique BERNARDUM primũ Abbatem Claravallenſem oculos vertat, quisquis egregiũ Sacræ Sapientiæ huius ſtudioſum, ac Literatæ pietatis exemplar intueri deſiderat, eiuſdemq; memorabilem à profanæ ſcientiæ vanitate, ad Chriſtianæ Philoſophiæ dogmata conſideret introductionem. Inſignes ille in Literarum ſtudiis fecerat progreſſus, cunctosque ævi ſui viros eruditos doctrinâ ſuperaverat, imò verò (Guilielmo Abbate in vitæ hiſtoria ſcribente) Mundum eiuſque Principem exterius ſibi multa, magnas res, ſpes ma-

majores, sed fallaces omnes, & vanitatum vanitates offerentem viderat; cum Veritas ipsa interius jugiter inclamaret atque diceret: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & invenietis requiem animabus vestris*; Itaque solicitè (eod. scriptore perhibente) investigare incipiens Bernardus, ubi certius ac purius animæ invenire queat requiem, Sacram quandam meditatus est solitudinem, atq; Claravallensem secessum; *posse se existimans omninò ibi delitescere, & abscondi in abscondito faciei Dei, ab omni conturbatione hominum*; ac divina ope maximum illud meditari conversionis negotium, à quo tamen dæmon (amicorum quorundam falsorumque fratrum abusus opera) eum avertere summopere nitebatur: Ubi enim (pergit Guil.) de Conversione tractantem, fratres, & qui carnaliter eum diligebant persenserunt, omnibus modis agere cœperunt, ut animum eius ad studium possent divertere LITERARUM, & amore SCIENTIÆ SECULARIS, seculo arctius implicare. Quâ suggestione (sicut fateri solet) propemodum retardati fuerant gres-

greſſus eius: ſed Matris ſanctæ memoria importune animo eius inſtabat, ita ut ſæpius ſibi occurrentem videret, conquerentem & improperantem, *quia non ad huiusmodi nugacitatem tam tenerè educaverat; non in hâc ſpe eum erudierat*; Sic inter Sacrum & ſaxum conſtitutus Bernardus, cum aliquando ad fratres inviſendos Grandeium pergeret, in ipſo itinere quandam ingreſſus eſt Eccleſiam, ibique procumbens, expanſis in cœlum manibus, multoque lachrymarum imbre effuſo, graviſſimam animi ſui luctam in conſpectu Domini expoſuit; Ea igitur die (notanter addit vitæ ſcriptor) firmatum eſt propoſitum cordis eius, nec ſurda aure percepit vocem dicentis: QUI AUDIT, DICAT VENI: Siquidem ab illa hora ſicut ignis qui comburit ſylvam, & ſicut flamma montes comburens, hinc inde prius viciniora quæque corripiens, poſtmodum in ulteriora progrediens; ſic ignis quem miſerat Dominus in cor ſervi ſui volens ut arderet &c. Nimirum ignitum & ferventem illum *Timoris* ſpiritum Deus pectori eius immiſerat, qui Bernardum à pro-

profana vanitate ad ſinceram Pietatem manuduceret. Et ſane quantum ipſe Doctoris illius exquiſitiſſimi tribuerit informationi, vel inde colligere licet, quod ad Clericum quendam irreligioſum, Thomam de S. Audomaro ſcribens, *Salutis plurimæ* loco, ei *TIMOREM plurimum* apprecatus, utque in Spiritu Timoris ambulet, egregiè ſit cohortatus; Eapropter (ſcribit inter alia) ad omnem recordationem tui, animam meam transverberat gladius iſte timoris, tanto acerbius quanto Te *minus timentem* conſidero. Multa autem præſentio imminere tibi pavenda tardanti reſipiſcere, tanquam multa expertus, quæ ô ſi cognoviſſes & Tu; Crede ergo EXPERTO; crede amanti, cui ex altero non falli, ex altero non fallere ineſſe cognoſcis. Sed juvat expertum Bernardum de Sacra illa introductione fuſius audire diſſerentem, utpote cuius rationem in egregio ſuo de Converſione ad Clericos libello, ſeu de vita in melius convertenda exhortatione, clariſſime expoſuit. Principio ſtatim mirificè VERBI DIVINI virtutem & efficaciam commendavit, & vitæ beatæ auſpicium

ſpicium, *divinæ potius, quam humanæ vocis opus eſſe, cunctasq; mortalium vires excedere demonſtravit.* Quis enim humanis (ait) comparare audeat dictis quod dixiſſe dicitur Deus: *Vivus profecto eſt ſermo Dei & efficax,* & vox eius in magnificentia & virtute; Ipſe *dixit & facta ſunt; Dixit fiat lux, & facta eſt lux.* Dixit: *Convertimini filii hominum, & converſi ſunt,* ita plane converſio animarū opus divinæ vocis eſt, non humanæ Simon Joannis, piſcator hominum in hoc ipſum vocatus & conſtitutus à Domino, in caſū tamen & ipſe laborans tota nocte nil capiet, donec in Verbo Domini rete jactans, concludere poſſit multitudineni copioſam. Utinam jactemus & nos hodie in hoc verbo rete verbi, & experiamur quod ſcriptum eſt: *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis.* Hanc autē Domini vocem OMNIBUS obviam eſſe, & ad conſcientiæ tribunal impios & reluctantes pertrahere, Bernardus porrò egregiè oſtendit: „ Nec ſane inquit laborandum eſt, ut ad vo„ cis huius perveniatur auditum, labor eſt „ potius aures obturare ne audias. Nimi„ rum vox ipſa ſe offert, ipſa ſe ingerit; nec

pul-

„pulsare interim cessat ad ostia singulorum --- Ad huc Sapientia clamitat in plateis: *Redite prævaricatores ad Cor.* -- Est non tantum vox virtutis, sed & radius lucis, annuncians pariter hominibus peccata eorum, & illuminans abscondita tenebrarum: Eo igitur splendore in humanis cordibus exorto, facilè deprehendi latentia vitia, seriumque conscientiæ examen (ex Spiritu scil. Timoris profectum) sibimetipsi prodere hominem: Si superbia, (pergit Bern.) si invidia, si avaritia, si ambitio, aut similis aliqua pestis sit abscondita; si fornicatio, si rapina, si crudelitas, si fraus ulla, aut quælibet culpa sit admissa, hunc internum judicem non latebit reus ipse, nec coram eo inficiabitur. Deinceps Peccati, corpus & animam contaminantis, exposuit fœditatem, & luctã peccatoris resipiscentis (proprio forsitan edoctus exemplo) insigni quadam hypotyposi graphicè repræsentavit, per prosopopæiam inducens membra unà cum voluntate Rationi reclamantia, h. m. „*Unde hæc nova Religio*? Facere jubes ut li„bet. Sed invenietur qui novis decretis ob„viet, qui novis legibus contradicat. Quis enim

„verò ille est ? inquit : Nimirum,
„ipsa quæ paralytica jacet in domo & ma-
„lè torquetur. Ipsa est enim in cuius nos
„pridem deputasti obsequium, (si non ig-
„noras) ad obediendum utique concupis-
„centiis eius. Expalluit miser ad hanc vo-
„cem, & confusus obmutuit, anxiebatur
„enim in eo spiritus eius. Ac membra qui-
„dem ad suam illam infœliciſſimam Do-
„minam incunctanter accedunt, ut adver-
„sus Dominum crudeliter interpellent,
„& imperia duriora causentur. Plangit
„gula, parsimoniæ sibi modum adhibitum,
„oculus queritur indictas lacrymas, petu-
„lantiam interdictam. Quibus hæc & si-
„milia prosequentibus, excitata & vehe-
„menter exacerbata voluntas; Somnium
„ne est inquit an fabula quod narratis ?
„Tum verò oportunum suæ tempus nacta
„querimoniæ lingua, omninò ait, sic est
„ut audistis, nam & ego à fabulis & men-
„daciis jussa sum reticere, & nihil dein-
„ceps nisi serium, mò & penitus necessa-
„rium loqui. Exilit igitur vetula furens,
„& totius oblita languoris, comis proce-
„dit horrentibus &c. Quomodo verò ea

compeſcenda, Rationisque Imperio ſubiicienda, in ſequentibus capp. etiam Bernardus elegantiſſimè oſtendit, dum ſc. vitæ carnalis miſeriam, omniumque voluptatum Mundanarum vanitatem & fallacias diſertè ob oculos poſuit ; ac inter alia de vanæ gloriæ inanitate quemvis literatum „ hominem ita commonuit : Vanus uti„ que labor qui ſtudio vanitatis aſſumitur ; „ O DOXA DOXA (ait Sapiens) in mil„ libus mortalium nihil aliud quam auri„ um inflatio vana. Et tamen quantam pu„ tas infœlicitatem hæc ipſa non tam fœ„ lix vanitas, quam vana felicitas parit ? „ Hinc namque cœcitas cordis ; ſicut ſcrip„ tumeſt : *Populo meus qui Te beatificant, „ in errorem Te inducunt*. Hinc cervicoſus „ furor animoſitatis, hinc ſuſpicionis la„ bor anxius, hinc livoris crudele tormen„ tum, & cremantis invidiæ miſerior „ quam miſerabilior cruciatus, &c. His aliisque plurimis ſententiis, elatæ vanitatis nauſeam, rerumque terrenarum faſtidium provocantibus propoſitis, Doctor ille inſignis, cunctos literatos, ac Deo cumprimis ſacratos homines ad ſeriam cohortatus

tatus est pœnitentiam; Parcite (ait) obsecro fratres, parcite animabus vestris, parcite sanguini qui pro vobis effusus est. Horrendum cavete periculum. ignem qui paratus est declinate. - - - Quidni periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam seculo? Fugite de medio Babylonis, fugite & salvate animas vestras. Convolate ad urbes refugii, ubi possitis & de præteritis agere pœnitentiã, & in præsenti obtinere gratiam, & futuram gloriã fiducialiter præstolari. Non vos retardet conscientia peccatorum, quia ubi illa superabundaverunt, superabundare gratia consuevit; NIHIL enim (notanter paulo post scribit Bern.) CREDENTIBUS IMPOSSIBILE. Hinc etiã cap. xv. divinæ misericordiæ, peccata dimittentis, fiduciã mirificè cõmendavit omnibus verã agentibus pœnitentiã: Huius (Dei sc.) indulgentia delet peccatum; *Dimittuntur Tibi peccata tua*, Matth. 9. Murmuret Pharisæus & dicat: Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? *Mihi enim qui id loquitur Deus est, &c.* Deniqúe ad novæ obedientiæ

omnigenæque virtutis ſtudium, à vanitate ad pietatem converſos homines eſt cohortatus: Et ſane (inquit) in domo propria reformata pace, eandem neceſſe eſt erga PROXIMOS dilatari, ut noviſſimè exoſculetur Te & ipſe oſculo oris ſui, & quemadmodum ſcriptum eſt: Reconciliatus pacem habeas ad Deum; dimitte his qui in Te peccaverunt, & dimittetur Tibi quod ipſe peccaſti, ſi forte quempiam defraudaveris, redde vel ſimplum, quod ſupereſt da pauperibus, & miſericordiam, præſtans miſericordiam, conſequeris. Totam tandem de Converſ. diſſertationem Bernardus egregia quâdam humilitatis commendatione concludit: Nil humilibus (ait) arduũ reperitur, quibus & gratia fert auxilium, & obediendi devotio lenit imperium. Quamdiu ambulatis in magnis & mirabilibus ſuper vos? - - Difficile fortaſſe & impoſſibile eſt, ut ex amara radice *ambitionis* ſuavis fructus prodeat charitatis. Dico ego ſi vultis audire, imò non ego ſed Dominus: *Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in noviſſimo loco: quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.*

Hoc

HOc itaque SACRUM illud est OCTUMVIRALE COLLEGIUM; Hi Summi & UNICE NECESSARII BONI ELECTORES; *Hæ NOVEM (si Basilium Magnum connumeremus) quodammodo MUSÆ CHRISTIANÆ; Hæc illustria illa priscæ EcclesiaLumina; hi insignes atque felices Solitarii, qui posteaquam multum temporis vanitati impendissent, omnemque juventutem inani studio attrivissent, TANDEM ALIQUANDO velut ex gravi somno expergefacti, ad Evangelicæ veritatis admirabile Lumen respexêre, agnitaque Sapientiæ Mundanæ inutilitate, & vita miserabili deplorata, Ductorem non solum sibi dari optavêre, verum divinà etiam gratia TIMORIS Spiritum obtinuere, qui A PROFANÆ DOCTRINÆ VANITATE, AD SINCERÆ PIETATIS DOGMATA EOS INTRODUXIT.

*(Luc. x. 42.)

TOt itaque, Tantorumque Virorum exemplis illustribus incitatus, gratiæq; cumprimis & verbi cœlestis lumine colluſtratus LITERATI HOMINIS ANIMUS, Maximũ illud in sacro otio & PIO-SECESSU negotium meditabitur: Mala nimirum sua, sive innumera peccata & flagitia sibi principio revocabit ad animum, & conscientiam perperam gestorum habebit ante oculos, tum ritè pœnitendo ad Deum accedens, cordeque contrito ad Cœlestis Misericordiæ (Christi Salvatoris merito partæ) aram confugiens, ad pœnitentis Prophetæ coronati exemplum, arcanos cordium suorum recessus coram SS. Numine aperiet, & cum Basilio *vitam suam miserabilem* in hunc modum deplorabit:

O me miserum! quid egi! ô infelicem! quã immensum pondus malorũ! quàm omni ex parte infinitũ! Egone Christianus, momentum æternitati prætuli? Egone Philotheus? qui Mundum ac carnem potius quam Deum Creatorem atq; redemptorem meum dilexi? Egone Illi in prima ætate sacratus, mihi potius quam Deo vivere hactenus

ctenus non erubui? ô me amentẽ! ô furiosum! violatũ est ergò votũ SS. Numini factum! amissa innocentia, pudor ereptus, Deus abjectus, perdita omnia! Quam inutiliter (eheu!) ineptivi, venatus fumos, sectatus umbras, indigna Christiano (ne dicam Deo sacrato homine) commisi! Quot cadendi periculis hactenus fui expositus, imò quoties ipse cecidi? Quoties Hannibal ante portas, moles nimirum mei & enervati affectus, hostes innumeri & indomiti, me haud invitum nec reluctantem oppressêre? *Ipsa me STUDIA* (dico cum Anselmo, ex Med. 4.) *quæ dilexeram damnant, quæ laudaveram, vituperant, hi sunt quibus acquievi amici, quibus parui magistri, quibus servivi Domini.* Quis ego, & qualis ego, (ut cum pœnitente Augustino loquar,) aut quantus ego? QVID NON MALI EGO? Quoties à benigno Numine monitus, foris, intus, ubiq;, haudquaquam obtemperavi, quoties amoris gratiæque divinæ funicularis tractus, nefariè sum reluctatus, & trahentem Dominum neutiquam secutus. Indignus profectò sum äere quem respiro, indignus cœlo quod aspicio, siquidem peccando

cando malui perire cum diabolo, quam æternum regnare cum Christo; Hic multiplicavit dona atque beneficia, ego multiplicabam delicta & crimina, Ille me continuis benefactis à prima ætate ad hanc usque diem clementer obruit, ego injurias rependi inumeras, has ferebat ille patientissimè, ego eas iterando, iram atque indignationem Dei magis magisque provocavi. Majoris profectò ponderis Illius semper in me extitere beneficia, quam ego qui ea accepi, potui expendere. Impar enim iis expendendis mea huc usque fuit imbecillitas, quam magis imparem negligentia ac torpor reddidit. Quid obsecro igitur respondendum Deo, me uti Cainum compellanti: *Quid feci*sti? Peccavi (eheu!) graviſſimè, Deo diabolum Mundumque prætuli, testatusque sum, me nec pili cælum facere, nec flocci Deum, Sapientiam eius infinitam, insipientem cœcam imò nullam voluissem, ut judicium effugerem, animam fœdavi peccatorum sordibus, omnes corporis animique vires impendi, ut læderem eum, qui tot me commodis opibus & delitiis mactavit. Pudet me dum me-

memoria repeto miſerantis DEI longanimem tolerantiam; Non laſſabatur is protegere & conſervare, non laſſabar vitæ uſura turpiter abuti. Quomodo Angeli ſuſtinuerunt perduellem Creatori? Cur aſtra benignis aſpectibus me obſervare perrexerunt? elementa confovere? Cur boni probiqúe homines me ſua dignati ſunt ſocietate, eò quod omnipotentem Deum offendere non dubitaverim. Non amplius igitur jam quærendi locus: *Quid feciſti?* ſed tempus potius eſt, imò plus quam tempus, ut cum Saulo perſecutore in terram proſtratus, ob tot flagitia tremens, ob tot Dei beneficia ſtupens, oculis lachrymantibus, contrito corde, & ſingultiente voce exclamem: *Domine quid me vis facere?* En clariſſimè reſpondet ore Prophetico-Apoſtolico; *Seriam age POENITENTIAM.* Summa cum reverentia coram Deo Ter Opt. Max. procumbe, indigniſſimum Te reputa, qui coram adeò ſublimi ſupremaq; Majeſtate verſetur, ſciens tamen Eam ſerio flagitare omnium converſionem, ac ſalutem, cor tuum ſincere adaperi, animi tui ſtatum miſerabilem candide decla-

ra ac detege, & cum D. Ephræmo ex ter-
tio de Compunct. sermone in hæc verba e-
„rumpe: *Largitor cunctorum bonorum, ac*
„*fons sanitatum, & thesaurus miserationum,*
„*tu solus es bonus & misericors, semper bona*
„*præstas petentibus; Propterea confidenter*
„*Te Christe Deus meus clementissime, supplex*
„*exoro, ut gratia tua super me jugiter veniat,*
„*quæ mentem meam variè distractam colli-*
„*gat, occultaq; rursus mea sanet vulnera.*
„*Ecce enim distractiones atq; ELATIO-*
„*NES mentis, semper occulta mea vulnera*
„*instaurant redintegrant q;, verum Tu Do-*
„*mine mitissime atq; longanimis, qui semper*
„*curas gratia & miserationibus, sana fre-*
„*quentes meas infirmitates;* Quænam verò
illæ? *Eram jam* (notanter ait alibi) *gratiæ*
„*particeps factus, eram de Christo à paren-*
„*tibus institutus, qui me secundum carnem*
„*genuerant, Timorem Domini tradiderunt*
„*mihi, conspexeram vicinos pietatis studio-*
„*sos, audieram multos varia pro Christo per-*
„*pessos: Veruntamen paucis illis annis con-*
„*tumeliosus fui & percussor, atq; seditiosus,*
„*& cum vicinis contentiosus ac invidus, in*
„*advenas & peregrinos inhumanus, in ami-*

cos

„eos durus, *in pauperes acerbus*, ob res viles
„ac leves occurrentes pugnax & immodestus,
„*improbis quoq; vacans cogitationibus*; hactenus D. Ephræmus; Quem *Timore* sacro perculsus Literatus pœnitens, in pio suo secessu haud malè ad hunc modum imitabitur: Eram divinæ jam gratiæ per sacrum regenerationis lavacrum particeps factus, eram de fide in Christum salvifica, Deique revelatâ voluntate à parentibus pariter ac Doctoribus meis à teneris optimè institutus, qui me secundum carnem genuerant, indies Timorem Domini inculcabant, & ad præclarum hunc sinceræ pietatis Magistrum boni singuli verbis & exemplis suis me invitabant; Attamen à tot annorum decurso tempore, gravissimus fui legum atque præceptorum divinorum transgressor, Mundi & quæ in eo sunt insanus amator, rarus pietatis cultor & infrequens, inanis sectator gloriæ; divinæ autem curator minimus, charitatis proximo debitæ negligens observator, inopum, egenorum, oppressorum ex elatione contemptor, iniquus alienæ famæ laudisque obtrectator, invidus & æmulator, turpis simulator, fal-

fallax adulator, rigidus atque ſeverus injuriarum acceptarum ultor, turgidus & inflatus literator, gratiæ favorisque humani diligens venator, laudum, honorum divitiarum, cupidus flagitator, arrogans & & temerarius donorum oſtentator, rixarum, ſimultatum & contentionum vel author, vel inſignis fautor, exoſæ ſingularitatis, promiſcuæ novitatis, illaudatæ ac pernicioſæ curioſitatis admirator, optimi temporis ætatisque peſſimus collocator, profanæ elatæque vanitatis ſtrenuus ſectator, & ut duobus verbis complectar omnia, inter cunctos mortales MAXIMUS PECCATOR; Jam tandem intra me ipſum reverſus, & corde ac ſpiritu coram juſtitiæ divinæ throno proſtratus, vitæque præteritæ ſcelera deteſtatus, ſupplex eorum veniam, totalemque abolitionem rogo & depoſco, idque meriti, mortis & paſſionis Domini & Redemptoris mei Jeſu Chriſti virtute; quâ tanquã unico ſalutis ſpeiq; meæ fundamento nixus, Sacrã fidelitatis profeſſionem, Deo olim in baptiſmo factam, renovo ac redintegro, Diabolo, Mundo, Carni, Vanitati, invidiæ, elationi

ni Contentioni gloriæq; inani renuncians, & pravas hostium illorum suggestiones & concupiscentias ex animo detestans, & ad clementem Cœli Dominum accedens, per eius gratiam desidero, propono, statuoque, omnem deinceps vitam Eius impendere servitio, spiritum meum cum omnibus facultatibus, animam cum omnibus potentiis, corpus denique cum sensibus omnibus consecrare Creatori atque Redemptori meo benignissimo, Cuius etiam gloriam & honorem veluti palmarium studiorum actionumque mearum scopum post hac respicere spondeo. Quod si autem vel prava inimici suggestione, vel ex alia carnis infirmitate huic meo contravenerim proposito, ab hoc tempore promitto, quam primum ac percepero lapsum, resurgere, & implorata divina misericordia, majori ac ferventiori studio DEI me conformare sanctissimæ voluntati. Tu autem Æterne & Omnipotens Pater, Fili & Sancte Spiritus, hoc in me propositum confirmare, & cordiale hoc obsequium in odorem suavitatis admittere dignare, Tu robur & gratiam ad illud adimplendum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [113] - 109 PUBLIC DOMAIN

dum concede; Tu benigne Deus, qui solus eminentissimam hanc habes potentiam, quam nullæ creaturarum vires, quantumvis in unum conglomeratæ, superare vel æquare possunt; Tu qui secundum excellentem præsentiæ gratiæq; tuæ magnitudinem & efficaciam fortitudinis tuæ, sustulisti cor lapideum, aversum contrivisti, mortuum in peccatis vivificasti; Cor obsecro in me novum crea, *Cor mundum* inquã *crea in me DEUS*, Cor HUMILE, Cor mite, Cor obediens, Cor abstinens, Cor benignũ, Cor zelosum, Cor sincerũ, Cor justũ, Cor amabile; *CREA in me*, sive forma ex nihilo, nullis prorsus in me existentib⁹ meritis ac præparationibus; gratia tua & sufficientissimo Christi Salvatoris mei merito supplente omnia. *Ne projicias me Deus meus à facie tua, & Spiritum tuum ne auferas à me*, Tu ô Deus, sis Deus meus, Deus cordis mei, Deus animæ meæ, fac ut talem Te agnoscam & adorem jam & in omnem æternitatem.

Saluberrimam hanc ad DEVM Opt. Max. Conversionem, mox solidæ PIETATIS excipiet EXERCITIUM, mentisque con-

converſæ, ad Divinam Voluntatem promiſſa conformatio, & nova vitæ Chriſtiano-Literatæ inſtitutio. Hoc etenim ſibi poſt factam ad Pietatis dogmata Introductionem, *cum primis curæ fuiſſe* Magnus ille Baſilius in laud. ad Euſtath. Epiſtola perhibuit, *ut* MORUM INSTITUERET CORRECTIONEM, *quos per diutinã conſuetudinem cum improbis contractam perverterat.* Et qui in Pietatis doctrina eum *Timor* erudivit, *in corpore etiam* (ut ipſe in Pſalmi XXXII. explicatione loquitur) *peragi Sanctificationem voluit*; ideoque converſum hortabitur animum, ut DEO deinceps placere ſerio ſtudeat, eius obediat mandatis, ſummeque caveat, ne novam illius ſponte incurrat offenſionem. Quin imò centies per diem, per horam, eius auribus inclamabit: CAVE! Stes licet in ipſo Pietatis faſtigio, cave, proximus es præcipitio; Time ſi polleas gratia, ne amittas, time poſtquam amiſeris, ne pereas: Time à dextris, quia proſperitas animũ nimis extollit, time à ſiniſtris, quia calamitas nimis deiicit. Cum dormis, cum vigilas, cum oras, cum legis, cum prandes, cum cœnas

nas, cum doces, cum discis, cum ambulas, cum quiescis, omni loco & tempore pave & cave, quia ubique tenebræ, foveæ, insidiæ, certamina, pericula. *Ovem te forte putas, Hircum te forte novit Deus*; inquit D. August. (lib. de Ovib. c. 10.) In fide es firmus, in vita honestus, in custodia sensuum pervigil, in exercitio pietatis assiduus; & ideo ovem te forte putas, sed hircum te forte novit Deus, sciens nimirũ pretiosum illud Christianæ perseverantiæ donum Tibi defuturum. Time igitur non solum præterita, propter tot quæ patrasti scelera, verum etiam futura, propter tot atrocia quæ te in impietatem rursus prolapsum manent supplicia.

His igitur aliisque salutaribus monitis suppeditatis, optimus ille Magister (dicente D. Augustino tract. IX. in Joh.) *locum DIVINÆ parat CHARITATI: cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum, quantum enim illa crescit, ille decrescit*, -- Et mox: *Charitas foras mittit timorem. Quando aliquid suitur, seta prius intrat; sed nisi exeat, non succedit linum, sic timor primo occupat mentem,*

tem, non tamen ibi remanet, quia ibi intravit ut induceret charitatem. Hinc etiam illũ Origenes in cap VIII. Rom. *Tutorẽ* vocavit *& procuratorem parvulorum, eos ad charitatem deducentem*, ipſeq; Baſilius in cap. 1. Ieſaiæ *Pædagogum* nuncupavit. In cuius *GYMNASIO* probè inſtitutus, gratiæq; & miſericordiæ divinæ per fidem ſalvificam jàm particeps factus Chriſtianæ pietatis ſtudioſus, ad nobiliſſimam atque ſuaviſſimam tandem AMORIS DIVINI perveniet *ACADEMIAM*, atque SS. Numinis, Sũmi & perfectiſſimi boni flagrare incipiet CHARITATE; Hæc ſc. eſt illa felicis incendii tæda, qua cor ad Deum & ſinceram pietatem converſum ardebit *amorẽ* (ut Dionyſius ait) *interminabili.* Cui Sacro igni facem primam ſubdit SS. Numinis PULCHRITUDO inenarrabilis, majeſtati ſummæ, potentiæ & clementiæ infinitæ ſociata, ſemperque dicente D. Auguſtino) nova, ſemper antiqua, nova ſemper quia infinita, ſemper antiqua quia nunquam alia, nunquam effœta; tota & ſimplex, una & multiplex, ſine partibus & tamen harmonica. Et cum pulchritudo niſi

niſi cuiusque rei ſit perfectio, numeris omnibus abſoluta, quid Deo igitur pulchrius, quo nihil excogitari poteſt perfectius? Sit licet (ex Chryſoſtomi ſententia) in uno corpore glorioſo plus ſplendoris, quam ſi totesſent Soles quot aſtra, qualis obſecro erit Lucis ad tenebras, Creatoris ad Creaturam, totius ad nihil comparatio? Sua pulchritudine etiam Mundus gaudeat, quanto pulchrior erit Ille, qui uno verbi ſui nutu *Pulchrum* (Κόσμον) pulcherrimus ipſe condidit. Alteram Sacro huic incendio facem Sacroſancti Numinis admovet BONITAS, qua perpetuis obruit beneficiis, donisque cumulat omnibus ſincero charitatis affectu, non bonos & juſtos modo, ſed peccatores etiam, immanesque gloriæ ſuæ hoſtes atque contemptores, nil prorſus deeſſe patitur, ſed unicuique de mediis ad ſalutem conſequendam neceſſariis liberaliſſimè proſpexit, cunctis cœleſte convivium, immortalemque gloriam omnigena felicitate inſtructam, benigniſſimè apparavit. Quandoquidem verò ſpecialia & particularia beneficia ſive manifeſta ſive occulta, longè potentius DEI nos amori

mori consecrare valeant, quam publica & communia; hinc ex illorum etiam assidua consideratione sic magis magisque inardescit renovati hominis, pieque docti animus, ut quo plus videt plus deperire cogatur, & cum se infinito plus à Deo redamari intelligat, hinc æstus amoris fit intensior, hinc nullos pro honore eius ac gloria labores posthac refugere conabitur; imò verò amoris divini integritas illi tantopere erit cordi, ut nec cogitationes rerum humanarum, nec vitæ secularis imagines, nec ullum laudis & existimationis propriæ studium, nec gravissimi malorum variarumque calamitatum fluctus, sacrum hunc ignem extinguere, sive SS. Numinis amorem ex animo eius excutere valeant. Adeoque translatus è Timoris Gymnasio in Amoris Academiam piè Literatus homo, magis *amare* desiderabit, quam *scire*, nisi quemadmodum amet & obediat; magis pati quam gaudere; amara optabit præ dulcibus, cum alias plus aloes quam mellis vita literata contineat. Si quæ dona possideat, ea non nisi divinis impendet obsequiis; atque amore cœlesti æstuans, omni studio mun-

danos declinabit honores, loca, officia, laudesque vitabit proprias, vel si semper evitare non possit, inter ea velut in spinis versabitur & sentibus, neq; pluris ducet, quam flatum auræ tenuis; Gloriam verò adamati Cœlestis Domini unicè respiciens, omnem alium honorem, præter Deo suo debitum ignorabit; *Nihil habebit amplius humani, quo suum* divino amore flagrantem *animum relaxare possit.* Hinc etiam ardens hoc cum intimo illius sensu iterabit suspirium: *AMOREM solum tuum Domine mihi dones, & dives sum satis:* & iterum, vultu inter adversa etiam hilaritatem spirante, exclamabit: *Et dives sum satis;* Et doctus sum satis; & clarus sum satis; & honoratus sum satis; deniq; & felix sum satis atque beatus: Quippe probè intelligens, nimis esse avarum atque elatum eum, cui Deus non sufficit, & qui immenso hoc thesauro possèsso, læto pectore non exultet.

Quamprimum autem AMOR ille COELESTIS in converso corde sedem fixit stabilem, debitum sibi in id vendicabit

bit dominium, & reprimendo cuncta amato bono repugnantia, virtutes cæteras congregabit. Nimirum ea vis est divini amoris, ea Spiritus S. voluntatem humanam, internosque affectus commoventis operatio, ut una cum illo conversi hominis animum virtutum amicarum chorus confestim subeat, ut qui paulo ante arrogans, superbus, sui amans, ambitiosus, singularis, avarus, intolerabilis, litigiosus, invidus, iracundus aut aliter *vitiosus literatus* cernebatur, idem nunc velut alter homo, & antiquis exutus vitiis, sui contemptor, modest⁹ benignus, prudens, verax, demissus, pacificus, benevolus, mansuetus, humilis, aliisq; virtutum ornamentis clarus & cunctis carus agnoscatur. Sic cœlesti beneficio Hominis, divino amore flagrantis, animus Arboris instar erit, in quam omnigenæ Virtutes insitæ magis magisque pullulant, virentque indies cæteri fructus FIDEI suavissimi; illa præsertim à SS. Numine toties cōmendata PROXIMI CHARITAS, siquidem Deus amari sincerè haud possit, imò haud velit, nisi quælibet amoris flagrantissimi officia ei quoque exhibeantur,

qui ad divinam est conditus imaginem; Hinc illud Salvatoris optimi præceptum: *Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; veluti vitæ morumque absolutissimum exemplar sinceri Philothei animo obversabitur, eiusdemq; habitus (ut scholæ loquuntur) amorem DEI & Proximi esse Christianus Philosophus reputabit. Est ratio circuli, ut ab eo ad centrum nullæ prorsus lineæ id tangentes perduci possint, nisi tangant etiam se ipsas, quod Euclides evidentissime demonstravit: pari planè modo, Deum à se amari haud posse, novus pietatis studiosus existimabit, ni amore constanti proximum complectatur. Quapropter ille deinceps promptè libenterq; non consilio solum, sed re & opere cuivis egeno opitulabitur, libera & effusa manu eleemosynas erogabit, miserabiles, ignotos, inopes, imò hostes (etiam valdè contumaces) pro viribus sublevabit. Nec *SIBI* deinceps *SOLI* piè literatus vivet, sed etiã PROXIMO, eiusque corpori proderit pariter ac animæ, facultatibus æque ut virtutibus; si factis non possit, votis supplebit, utque aliis commodius vivat, sibi ipsi morietur.

Neu-

Neutiquam porrò contemnere audebit, altoque despicere supercilio eum, quem à Creatore suo tanti fieri deprehendit, à gravissimo, ac ferè communi (eheu!) literatorum malo, turpi nimirum fastu atque arrogantia penitus abhorrebit, omnes amaritudinis, suspicionis & aversionis scintillas in animo glisscentes illicò extinguet, lubens certabit obsequiis, optime cuncta interpretabitur, imò & jure suo non gravatè cedens, ex ardentissimo DEO placendi desiderio omnia sustinebit, nulli sine maxima necessitate homini contradicere, nullas turbas ciere, nulla litigia verbo sive scripto serere, nulla odia concitare, sed pacem cum omnibus amabilem optatamque custodire cogitabit. Quâ ratione etiam illam in literato Orbe repertu difficilem raramque obtinebit animorum conformitatem, illam cordis dulcedinem & suavitatem, qua nihil est gratius, majorisque apud omnes existimationis, amabilem inquam Mansuetudinem, charitate singulari non minus quam gratia divina repletam, omnes injurias, offensas, calumnias licet gravissimas æquo animo tolerantem, omnemq; inimicis, æmulis

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [123] - 119

mulis atque obtrectatoribus benevolentiam exhibentem, tum temporis maximè, cum admodum molestos, contrarios, imò pernicioſos illi ſeſe præbuerunt. Atque hoc præclarum arduumque virtutis & fortitudinis genus, quilibet ſinceræ pietatis ſtudioſus diſcet ab illo, qui unus eſt omnium Magiſter, in cuius Academia publicè hæc docetur inſignis philoſophia, ab ipſo illo Rectore perpetuo Chriſto toties propoſita atque inculcata: *Diſcite* (ait) *à me, quia MITIS SUM*, tota equidem eius vita, non eſt niſi aurea quædam manſuetudinis tela, ipſe veluti ſcopus, in quem omnia malevolentiæ jacula, odii ſpicula, invidiæ ſagittæ, ex hoſtium animis veluti pharatris, illorum ſceleratis actibus velut arcubus ſunt evibrata: Hoc itaque ſibi (quod imitetur) piè literatus proponet exemplar, hanc verè Chriſtianam deinceps ſpirabit indolem, magnamque ineptiam imò dementiam eſſe reputabit, velle ulciſci injuriam, eamque immittere lædenti, cum id ſine inſigni in ſe ipſum injuria effectui dare nequeat, minimè equidem malum malo curabit alio; ſed manſuetudinis bono cun-

cuncta mala in bonum convertere ſtudebit. Qua etiam arte de hoſte ſuo victrix tandem triumphabit lenitati ſociata charitas, eademque ſimul operâ altiſſimâ impetrabit Tranquillitatem. Eâ verò ſingulári Numinis beneficio præditus converſi Literati animus, nullis amplius vitæ hujus tangetur moleſtiis, nullis rixarum diſſidiorumque turbinibus agitabitur, nullis maledicæ linguæ vexabitur aculeis, nulla de ſe aliorum (quamlibet iniqua ſeveraq;) curabit judicia, OMNIA PREMET SILENTIO, hancq; non aliam pœnam ſuis imponet obtrectatoribus; probè advertens, cuncta opprobria atque calumnias, multò & evadi, & evitari melius patiendo & tacendo, quaſi eæ res nos non concernant, quam illis reſiſtendo, & contrariis quaſi armis ſimilibus eas propulſando. Ranæ dum coaxant, nihil quicquam important damni, auribus tantum exhibent moleſtiam; Sic noſter haudquaquã perturbabitur hominum otioſorum judiciis, Divinũ potiꝰ expectabit, inq; SPE ET SILENTIO inſignem declarabit fortitudinem, atque conſideratis tũ Salvatoris noſtri, tum Ele-

ctorum eius exemplis, omnes à Spiritu obtrectationis immissas ærumnas atque afflictiones, composito ad modestam hilaritatem vultu suscipiet, eaque mala sibi semper in profectum & emendationem evenire cogitabit.

Quandoquidem verò sincerus Proximi amor omnem INVIDIÆ atque Æmulationis ignoret mordacitatem, hinc fœdâ istâ Literati nominis maculâ christiani philosophi renovata facies haud amplius deformabitur; illeque divina gratia sublevatus, omni studio vitii huius abominabilis malignitatem evitabit. Quid enim frequens illa Literatorum INVIDIA? *Vitium* (respondet præclare D. Augustinus,) *DIABOLICUM est, quo solo Diabolus est reus*; vel ut aliis placet, *diabolici ingenii mentibus humanis impressum vestigium*, quandoquidem invidus plerunque alterius rebus secundis doleat, à quo nunquam sit læsus, cuiusque commoda nihil noceant invidenti; *Qui* (Magno Ephræmo dicente) *omnibus se præbet adversarium, neminem sibi in honore præferri patitur, proborum æstimationem diminuit, rectè q. incedentibus con-*

constituit scandalum, bene viventes vituperat, & pietate religioneq; conspicuos aspernatur; quinimò omnes virtute præditos omninò perditos & è medio cupit sublatos, rixas contentionesque quotidianas generat, alienam famam semper lacerat, non tamen apertè, sed occultè cœcisque viis, & improbissimis (quibus plurimum potest) artibus, veluti latens vipera in occulto sua coquit venena, inque iis omnibus, quibus aliqua felicitatis humanæ pars continetur, ferales studet extruere nidos. Eximiam tamen sæpe candoris præ se ferre solet speciem, donec sese in optimorum amicitiam insinuet atque familiaritatem, eosdemque fraude omnigena fallat atque perfidia, pariter ut nequissimus ille humani generis hostis, ex mera invidentia primum hominem ad defectionem impulit, & ex summa felicitate in extremam miseriam conjecit. Igitur ab isto ingenii diabolici vestigio protinus abhorrebit novus solidæ pietatis studiosus, & Christo jam consecratus, Dæmonem haudquaquam imitabitur, omnemque pravam studiosè devitabit æmulationem. Nec minus probè perspectis tristibus

ſtibus innumerisque pudendæ æmulationis effectibus, nullum ei locum dabit à peccati ſervitio jam liberatus Literatus, atque chriſtianæ ſinceritati (qua gloria Dei rebus omnibus anteponenda,) Invidiam prorſus repugnare exiſtimabit, imò impedire, quo minus quis in ſua conditione acquieſcat, quæq; habet bona, iis haud frui videatur.

Quid ſi verò invidia propria carens Sacro-ſanctæ diſciplinæ alumnus, ab aliena infeſtetur? Quidſi truculentis & acutiſſimis eiusdem telis frequentiſſime lædatur, imò opprimatur penitus? num multum ea re turbabitur, num atri iſtius ſerpentis venenatis morſibus vulneratus, ad iram aut furorem concitabitur? Minimè; quin potius fortiſſimo iſtos excipiet animo, ſalubriq; antidoto eludere cogitabit. Quodnam illud? Novo veroque Chriſti diſcipulo apprime conveniens PATIENTIA, ſingulari Humilitati ſociata, qua omnes Livoris etiam atrociſſimi inſultus feliciter ſuperabit, ac de tota tandem malignantium phalange triumphabit. *Nihil enim* (ait D. Gregor. Naz. circa orat. 23, initium) *perſecu-*

ſecutoremita ſuperat, ut Patientis alacritas; Et Iſid. Peluſ. (Lib. III. Epiſt. 181.) *Quod ſi quis inquit etiam iis, qui LIVORE feriuntur, veniam tribuat, ac pro ipſis ut ex hujusmodi furore emergant vota faciat, atq; ita ſit comparatus; ut non modo à vindictæ ſtudio abhorreat, ſed eorum etiam quos hoc vitium ſubegit miſeria moveatur, hic demum verè eſt, QUI SINCERE NOVIT PHILOSOPHARI.* Sic igitur ſincerè quilibet acuto livoris gladio læſus philoſophabitur, nunquam abjiciet animum, ſed eriget potius, & cuncta vilipendet linguæ invidioſæ convicia, ſemper ſecum conſiderans: Quid ſit quod dicatur? à quibus? quo animo? Quid ſit: verum an falſum? ſi verum; non eſſe cur vero offendatur; ſi falſum; non eſſe cur falſa æſtimet, quæ mox majori cum patientis honore ſint revelanda. A quibus? ab hoſtibus? quid mirum? at nemo credet: ab Amicis? quid novum? at nemo probabit: Quo animo? Errore? Quid igitur opus offenſione, cum nemo injuriam inferre dicatur, quam ſe inferre neſciat; Conſilio? ſed & hoc erroneum brevi appariturum. Hinc licet contumaciores

res

res nactus fuerit inimicos, contrahet se & demittet ab invidia pressus, nec in parem unquam cum illis incidet insaniam, imò diu multumque ferendis contumeliis exercitus, maximas ex iis accipiet utilitates. Et licet multa ab amicis didicerit, & præceptoribus, plura à discipulis, ab inimicis tamen suis plura quam à reliquis omnibus se didicisse cum R. Acquiba fatebitur, siquidem nemo eum magis circumspectum reddiderit, nemo ad cognitionem sui melius adduxerit, nemo magis intra terminos continuerit, & de se minus sentire docuerit, deq: universa terra, quam invidi & malevolentis inspectio; Itaq; ingentes tanto Doctori aget tandem gratias, eiusq; inse merita conquisitis celebrabit elogiis. Quid, quod ipsa Invidia eam PATIENTI plerumque plurima conferat beneficia, cum nunquam adrepere soleat contemptibilibus, culmen potius & columen rerum petat, inque optimos quosque venenatum suspicionis figat aculeum; porrò etiam pro rebus Bonorum solertes agat excubias, singulari eas industria oculis observet emissitiis, inquirat in vitam, actiones expendat, ipsaque ani-

animorum ſcrutetur conſilia, quæ res profecto mirificè expellit ſocordiam, atque negligentiam, efficitque, ut ſecum boni viri habitent, & cum paratos ſibi eſſe ſciant ſubindeque imminere tam oculatos ſpeculatores, & quovis Catone rigidiores Cenſores, nihil infamia dignum admittant, aut criminis notatione, ſed domum habeant honeſtati patentem, & ſanctimoniæ expoſitam, vultu geſtuque verecundi, ſermone graves ac reſtricti, motu geſtu & cultu corporis modeſti appareant; ne porrò ſperando aut optando conſeneſcant, nihil præter animi deſiderent tranquillitatem, cætera Dei manibus & tutelaribus & auxiliaribus committant, denique ſtudiosè caveant, nequid ſcientes aut imprudentes peccent, vel in aliquo eminentiori honoris faſtigio collocati, quicquam committant, unde livor maledicendi decerpere poſſit occaſionem.

Quo autem facilius ſinceræ Pietatis Cultor occulta & acuta ejus ſpicula evitare, & exoptatâ impetrare queat Animi Tranquillitatem, ſolicitè à Deo Spiritum flagitabit HUMILITATIS, ſerio eius incumbet

bet ſtudio, per depreſſas valles forti & magno animo ambulabit, cunctasque actionum ſuarum dapes (alioquin inſulſas inſipidasque) gratiſſimo ſubmiſſionis ſale condire cogitabit. Neque verò ſe humilem fiaget tantum oſtendetq; coram hominibus, vel pauca quædam humilitatem ſpirantia verba effabitur, ſed mente potius Animoque perquam Humilis apparebit, vanam inanemque gloriam pro maximo habebit adverſario, illudque Davidis Canticum ore aſſiduo verſabit: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*; illudque Apoſtoli: *Non ego ſed gratia Dei mecum.* Itaque omnis exulabit Animi Elatio faſtusque turpiſſimus, nullum prorſus φιλοπρωτεία locum inveniet, de mentis throno ſonorâ illa Domini voce: *Abi & recumbe in noviſſimo loco*, jam dejecta atq; deturbata; Infimum ſcil. ubique genuinus Chriſti diſcipulus locum exoptabit, infimos ſodales, infimum officium, nec majori ſolum, ſed æquali, ſed & inferiori ſe ſubiiciet, vel unum contemnere, uniq; ſe præferre grande reputabit piaculum. Se enim cunctis inferiorem, non ſuperficie tan-

tantum labiorum, verum intimo cordis affectu pronunciabit, siqúe id ipsum de se judicent alii, admodum lætabitur. Laudes quoque non solum declinabit, sed ultrò delatas velut Circes incantamenta, aut Sirenum insidiosissimam Musicam effugiet. Affectatam gravitatem, magnificos incessus, primos accubitus, salutationes honorificas, inanes pompas, ambitiosas ceremonias, ampullantia verba omninò detestabitur, sicque ex animo se ipsum despiciens, nec humilis adeò quam vilis reputari cupiens, nullam prorsus timebit adversariorum contumeliam, quin potius suavi & jucunda perpessione omnem excipiet injuriam, optimum illud Magni Basilii observans consilium: Obscurum Te „ & inglorium quia vocavit (sociorum „ quidam) nulliusque æstimationis, terram Te ac cinerem esse dicas; Nec Tu „ melior es Patre Abrahamo, qui se eadem „ vocavit. Ignarum, pauperem, ignobilem „ nominavit? Tu vermem Te dicas & ê „ stercore genus ducere, verba Davidis „ memorans, quibus etiam Mosis decus „ adde; Ille ab Aarone & Maria verbis im-

„ petitus probrosis, non ad Deum adver-
„ sus illos interpellavit, sed pro eis oravit.
„ Quorum Tu, dic mihi, cupis esse discipu-
„ lus? Beatorumne hominum & eorum
„ qui DEO sunt accepti, an verò eorum
„ qui spiritu maligno sunt referti? Sic igi-
tur anima verè humilis in nihili sui voragi-
nem descendens, ac se ipsam, tum proprio,
tum Mundi, tum malevolorum conspe-
ctui subducens, ad omnem tempestatem
erit paratissima, sereno semper cœlo, men-
teque semper pacata gaudebit.

Quandoquidē vero sine Divinæ gratiæ auxilio ne minimam quidem Elationis ten-
tationem vincere, nec ullum humilitatis a-
ctū exerere homo valeat, hinc incompara-
bile illud veræ submissionis charisma ab eo
precibus assiduis efflagitabit, qui Spiritum
Sanctum suum, Spiritū Sapientiæ & Chri-
stianæ Humilitatis se daturum precanti-
bus disertè promisit. Memorabilem quen-
dam priscorum Cœnobitarum morem, in
mensis celebratum, commemoravit Petrus
Damianus (Opusc. XI. c. 18.) nimirum ut
turpi Lectorum quorundam arrogantiæ
sincera opponeretur humilitas, in ipso Le-
ctionis exordio, quendam peculiari stu-

dio

dio à Cœnobiarcha destinatum, Lectori pulpitum conscensuro hunc in modum fuisse apprecatum: *Auferat à Te Deus Spiritum ELATIONIS!* Ad eundem planè modum Homo jam piè Literatus novusq; Humilitatis seriæ studiosus, ne intra præcordia intestinum illum flatum, & arrogantiæ pernicioſum tumorem concipiat, Deum compellabit quotidiè: AUFER A ME DOMINE SPIRITUM ELATIONIS! Fac obsecro ut à me recedat ille Satanæ angelus, ille literatorum communis adversarius, & Clericorum cùmprimis insidiator pessimus, ille turbarum & dissidiorum concitator, ille invidiæ & æmulationis procurator, ille ingeniorum optimorum, imò optimarum quarumvis actionum corruptor nequissimus, *Elationis* inquam *Spiritus* missum me faciat, pugnis suis me neutiquam petat, nec ullam in me deinceps exerceat potestatem.

AUFER A ME DOMINE SPIRITUM ELATIONIS! Ne unquã LAUDES MAGNAS *plausus q; inanes* efflagitẽ, quinpotius eos omni declinẽ ingenio, bonaq; mentis non quidem prorsus abscondã, sed nec

ambitiosè venditem, minimeq; propter ea me præferam cæteris; nec cogitem quos doctrina præverterim, sed quam multi sint qui me à tergo reliquerint; cogitem etiam illud B. Hieronymi ad Vigilantium: *Non parum est scire, quid nescias*; ideòq; nunquã animo meo obversetur quantum sciam, sed potius quantum nesciam, siq́ue cristas erigat doctrina, ad eos referam oculos, ad quos nihil didicisse videar. Si animus ex laude turgescat, statim considerẽ, quantum capiti meo immineat periculũ ab eo, qui omnem cervicem elatam deprimit, & colles omnes in plana deducit. Igitur Tuam, ô Deus, gloriam immortalem fac ut unice respiciam, omniq́ue caveam studio, ne ulla honoris secularis cupido vel Sacra tractantem invadat, vel causam Religionis agentem extimulet. Bernardus aliquando inter concionandum tentatus, quasi ab omnibus suspiceretur, paululum substitit, & cum interius respondisset tentationi; *Vanitas! propter te concionem non incepi, propter te ab ea non desistam*; cœptum continuavit sermonem, tuaque ô Domine gratia insidiantem Satanæ angelum profligavit.

AU-

AUFER A ME DOMINE EUNDEM ELATIONIS SPIRITUM; Ne altiores unquam HONORVM ET DIGNITATVM GRADVS exambiam, sed vel omnino eos subterfugiã, vel nonnisi invitus & coactus susscipiã, non quid æstimer, sed quid sim attendã, nec in eorũ serie ullo inveniar tempore, *Qui* (Magno Gregorio, Pastoralis sui initio conquerente) *curã animarũ* (omnesq; adeo honorũ gradus) *incaute potius expetere, quam cautè eius pondera declinare consueverunt*; & qui *Mundi lucrum sub eius honoris specie quærere sunt conati, quo Mundi destrui lucra debuerant*. Quin potius ut flante & infestante elationis vento cogitem, omnem Dominatum magnum esse cruciatum, omnem in Orbe sublimitatem, naufragosam esse tempestatem. Neminem altius cadere, quam qui adscenderit altius; quicquid in terris sublime, gravi obnoxium esse ruinæ, ubicunque sit fastigium, illic finitimum quoque præcipitium; fortunam illos primum deiicere, quos ut primos extulerit, fulmina ut plurimum ferire culmina, imò *Dominationem* & *Damnationem* affinia esse nomina. Quare ô Pater benigniſsime

sime Spiritum hunc & flatum ambitionis, sitim honorum insatiabilem, omnemque dominandi libidinem protinus expelle, ne me occupet, perdat, atque æternum Tibi reddat exosum. Aperi oculos mentis ut videam, id quod homines vocant honorem, purum putum nihil esse, quod qui sectetur, velut umbra delectetur, prætermisso corpore, & inani capiatur imagine; ideoq; inter ipsos honores & dignitates (si quæ invito obtingant) sim veluti honorata statua, cui qui accinit laudes, psittacus videatur aut insipiens. Tua quoque gratiâ obsecro effice, ut sæpissimè ad animum mihi revocem Satanam superbientem è Cœlo deturbatum, Protoplastos altiora spirantes ex summa felicitate in extremam miseriam conjectos; tristes item omnium Elatorum ruinas, horrendas ambitiosorum, etiam Clericorum tragœdias, in ipso Ecclesiæ proscenio quondam peractas, totque illustria illius sidera, superbia & fastu procurante de Cœlo lapsa, inque *ignes fatuos* transmutata, posteaquam sc. hæresium abominandarum, schismatumque novorum conditores evasêre. Quorum alius (Marcion

cion ſcil. teſte Epiphanio) *æmulatione commotus & ad magnam indignationem ac ſuperbiam elatus*; *Ego* (dixit) *findam Eccleſiam veſtram, & mittam fiſſuram in ipſam in æternum. Et revera fiſſuram* (addit Epiph.) *quidem immiſit non parvam: ſed non Eccleſiam diffidit, verum ſe ipſum & eos qui ipſi obediverunt.* Alius (Tatianus nimirum, Irenæo obſervante) *Juſtini quidem auditor, poſt verò illius martyrium abſiſtens ab Eccleſia, & præſumptione magiſterii elatus & inflatus, cum Valentino & Saturnino hæreſiarchis conſpiravit.* Alius (puta Arius, uti in Tripart. hiſt. legitur) quoniam Epiſcopatu potiri non poterat, æternam Chriſti patu potiri non poterat, æternam Chriſti arroſit divinitatem. Alius (Novatus Nicephoro & Euſeb. refer.) *faſtu & jactantia inani ſublatus, omnẽ moverat lapidem, ut Eccleſiæ gubernationem conſequeretur, ubi autẽ omnia expertus nihil egit, (erat enim tumore & ambitione immenſa correptus) in deſperationem incidit, & ab Eccleſia ſe ipſum ſegregans, proprios cœtus cogere, & novam quandam hæreſim per defectionem inſtituere cœpit.* Alius (pulcherrimus quidem ille Lucifer Calaritanus) præclaris in Eccleſiam meri-

tis nobilis, elationis & contentionis tandem ſpiritu obſeſſus, magnam diſſenſionem excitavit, magnumq; orthodoxis luctum intulit & timorem incuſſit. Alius (videlicet Neſtorius, Theodoreto intimo aliquandiu eius amico perhibente,) *ſuam magis quam Chriſti gloriam quærere ſtudens, neq; ingenuum illum & fructuoſum dicendi characterem imitatus, qui hominum animos paſcere poſſet; ſed ad popularem auram declinando, & vanum populi applauſum, ut quivis alius, aucupando, inſtabile & abjectum vulgus ad ſui deſiderium concitavit*; atque annotante Socrate *ſe ipſum omnibus antecellere exiſtimans*, in turpem tandem illam hæreſin erupit, quâ Mariam Deiparam vocari vetuit. Alii deniq; per omnia ſecula innumeri, immodico honorum atq; dignitatum ſiti laborantes, & ad altiora ſemper adſpirantes, ſibi & aliis temporalia pariter ac æterna exitia; Eccleſiæ verò graviſſima diſſidia atque ſcandala attraxerunt. Aufer itaque à me, aufer inquam, aufer ô Domine, periculoſam adeo Principis tenebrarũ catapultam, ne cum miſeris iſtis, omniq; ſaluti ereptis, ad honores altioresq; dignitates

tates adscendere cupiens, descendam hîc quidem ad ignominiam, alibi verò ad pœnam sempiternam.

AUFER A ME DOMINE SPIRITUM ELATIONIS; Ne spe adscendendi de FAVORE GRATIAQUE HUMANA quovis modo conciliandâ sim sollicitus; Tu cave obsecro, ne in fœdam adeò & Christiano homine nomineque indignam prorsus incidam idololatriam, imò execrandam penitus Ἐαυτοθυσίαν, quâ fascinati plurimi, studia, vitam, tranquillitatem, conscientiam, imò ipsam animam Patronis immolare, spretoque Creatore, *thura incendere creaturis* haudquaquam verentur. Horum ingentia damna & pericula me reddant cautiorem, doceantq;, haud grandiorem sumptum excogitari posse, quam quo hominum *Gratia* comparetur, nec gemini thesauri (quovis pretio majoris,) *Famæ* sc. & *Animæ*, existimationis & beatæ æternitatis jacturam, sæpissimè sufficere, ad Magnatum benevolentiam redimendam, aut redemptam conservandam; quoties etiam divina acciderit providentia, ut oculi ab infinitæ Bonitatis cœlestis throno aversi, inq; ho-

minum potentiam atq; authoritatem conjecti, pro ſperatis eventibus proſperis, calamitates graviſſimas, & fulminantes miſerias aſpexerint; Quam multi adhibitis etiam cunctis artibus, exhibitis plebeis obſequiis, indignis demiſſionibus, laboribus indefeſſis, ſumptibus immenſis, poſthabita omni honeſtate vitæque integritate, minimè tamen in Primatum gratiam penetraverint, ſcopumque optatum neutiquam attigerint. Nec minus animo meo ſemper obverſetur favoris gratiæque terrenæ inconſtantia, quâ Mundus (nauſea quaſi affectus & tædio, varietatis item & novitatis amore captus) primo impetu magnoque applauſu elatum, mox deiicit cum infamia, ducitque pro nihilo, plerumque *Hoſianna* præcinit, *Crucifige* concludit; Qua item accidit, ut vix Samſonis viribus comparata humana gratia, ex improviſo, vel invidi alicuius ſerpentis ſibilo, vel frondis unius (leviuſculæ ſuſpicionis) agitatione amittatur. Quæ deplorata miſeria cum adeò ſit certa atque perſpecta, quid eſt cur optare tantum, ne dicam ſollicitè captare velim humanæ benevolentiæ auram, tam citò

evane-

evanescentem? Cur ullatenus turbari, favore & gratia seculari dispallente, floreque eius marcescente multum cruciari? Cur in mente auribusque meis non personet vox illa Magni Chrysostomi, ita exclamantis: *Ecce quomodo Deus omnipotens in æternum ejiciat eum, qui in hominum gratia spem reponens, non admodum de bona vita & justis operibus sollicitus est, modo sibi benevolentiam conciliet. Adrugiendum cum Esau ille se comparet, qui putat perventurum se ad primos honores, natalium, non laborum meritis, nec virtutum exercitio, SED VILI OBSEQUIO, & adulandi studio, erga eos à quibus possit promoveri.* Auferitaque à me ô Domine hanc malorum infinitorum lernam, hoc coloris cito evanescentis pigmentum, Procerum inquam Mundanorum gratiam ac benevolentiam, effice tua gratia, ut considerē, non per humanos favores, sed per mundanas calamitates & tribulationes ad Cœlum patere aditum; immensam istam belluam Mundum scil. nemini benè velle, præterquam sibi simili, hoc est vano, & ex vanitate tandem infelici, eiusque favorem plus plerumque

afferre

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [143] - 139 PUBLIC DOMAIN

afferre nocumenti, quam eius atrociſſimũ odium atque inſectationem, cum hæc mortales humiliet, & in ſui ipſorum abducat cognitionem; at Mundi ſtillans favor eos inflet, efferat, ac ita excæcet, ut ſe ipſos agnoſcere neutiquã poſſint, imò benevolentiâ mundanâ freta mortalitas, ſemper peior, malevolentiâ verò depreſſa ſemper melior evadat.

AUFER A ME DOMINE ELATIONIS SPIRITUM! Ne unquam FAMÆ gloriæque inhiem inanitati, nec laudari cupiam à poſteritate, h. e. ab illis quos nec vidi unquam, neque videbo. Oculos mentis quæſo aperi, ut glorioſæ illius vanitatis probè obſervem veſtigia: Quam multi videlicet omni ævo vixerint famâ gloriaque conſpicui, quorum memoria eodem ſepulta eſt tumulo, quo cadavera; quorum aliquando ubique laudata opera, mox æternæ oblivioni data, vel ſi extent in literarum monumentis eorum nomina, non ſint ſcripta in Cœlis, Libroque vitæ inſerta; Quam multi ex illis ſolâ infamia famoſi; quam innumera perierint doctorum hominum monumenta, qui per ea immortalem

talem famàm ſibi parare allaboraverunt; ac licet quorundam magno ambitu quæſita, tempore diuturna fuerit, quid obſecro profuerit ea defunctis? an non melius illis fuiſſet omni fama caruiſſe, quam cum magna æternum periiſſe, idemque illis in altera vita accidiſſe, quod in præſenti claris quibuſdam ſcriptoribus contigiſſe Hieronymus memoravit, ſcil. *Eos laudari ubi non ſint, & cruciari ubi ſint*; Sic iſti laudantur ubi amplius non ſunt, h. e. in *Mundo*, & cruciantur ubi ſunt, puta in *Orco*: Quam inepte tandem plurimi nominis perpetuitatem à Deo denegatam affectaverint, nimisque præpoſterè de magnâ potius quam bona fama, imò bona vita ſolliciti fuerint. Fac Domine ut ſtudioſè etiam conſiderem, quid plurimi Scriptores ex magni nominis gloriâ, poſt impenſos labores uſque ad ſudorem, poſt evolutos cunctos libros uſque ad pallorem, poſt exhauſtas omnes animi & corporis vires ſint lucrati? *nil niſi urnam pulveris*. Herculei literatorum labores (inquit ille) ſunt, qui fatigationibus immenſis commoditates adferunt aliis, authori ſuo præter aliquantulum famæ (fumi potius)

tius) plurimumque INVIDIÆ, nihil. Quodsi tamen aliqua scribendi incumbat necessitas, fac ut Tuæ duntaxat gloriæ, proximiqúe utilitati omnes meos consecrem labores, haud quaquam per eos immortalis fieri cupiens, sed Tibi Immortali & invisibili Seculorum Regi honorem tribuendo, cum Chrysostomo verè dicere possim: *In illis opusculis per ingenioli oblationẽ DEO sacrificavi*; vel ex eorum sim numero, qui dicente Augustino, *non solum aliis proficiunt scribendo, sed ipsi scribunt proficiendo*; quiq; id, quod Petrus Venerabilis Gilberto quondam Lib. 1. Ep. 20. scripsit, probè considerant: Seratur in chartula Verbi divini seminarium, quod maturis segetibus, hoc est libris perfectis, multiplicatis frugibus esurientes lectores repleat, & sic panis cœlestis lethalem animi famam repellat, sic plane, sic Verbi divini poteris fieri taciturnus prædicator, & lingua silente, in multorum populorum auribus manus tua clamosis vocibus personabit: Clausus tenebris in spelæo tuo, & in codicibus tuis, terras & maria peragrabis, in publicis Ecclesiæ conventibus lectoris

ore

„ ore Verbum Dei de ſublimi loco incla-
„ mabis; in remotis clauſtrorum & domo-
„ rum angulis illud idem, ſervis Dei ſilen-
„ tibus, inſuſurrabis, &c. Nec minus Tuo
me rege Spiritu, ô cunctorum Bonorum
Largitor, ut compendioſam illam ad ho-
norem & gloriam viam ſollicitè obſervem,
(cui omnes genuini Salvatoris mei diſci-
puli inhæsêre, Magiſtri veſtigia legentes,)
viam ſc. arctam & anguſtam CRUCIS at-
que tribulationis; *Quà* (præclare ſcriben-
te D. Ephræmo) *Deo devoti in tribulationi-
bus atq; tentationibus probati ſunt --- AC
FAMAM NOMENQVE EX TRI-
BULATIONIBUS conſecuti, imago
pulchra generationibus futuris evaſerunt.*
Quemadmodum Cyrenæus Simon, vilis il-
le terræ filius & triobolaris ruſticus, CRU-
CEM PORTANDO tantam nominis ad-
eptus eſt claritatem, ut eius fiat mentio
ubicunque prædicatur Evangelium, ima-
go in tabulis & pulpitis proponatur, inq;
toto Orbe Chriſtiano illuſtrior ille habea-
tur, quam Magnus Alexander omnibus
ſuis præliis, & Cæſar victoriis, & Augu-
ſtus potentia, & Tullius eloquentia, &

Ari-

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [147] - 143

Ariſtoteles ſcientia, & omnes totius antiquitatis & gentilitatis Viri præſtantiſſimi univerſis ſuis facinoribus, conſcriptiſque voluminibus, quibus nomina ſua immortalia reddere contenderunt. Igitur Chriſtianæ TOLERANTIÆ SPIRITUS tua mihi, Domine, gratia conceſſus, auferat illum adeò pernicioſum Spiritum Elationis, ut cunctas à Te immiſſas ærumnas atque afflictiones, compoſito ad modeſtam hilaritatem vultu lubens ſuſcipiam, easque Patientiæ ſuperem alacritate. Cumprimis ut minimè deinceps curem mille mundanorum odia, convitia, calumnias, & tela obloquiorum innumera, haud etiam me turbent ſiniſtra quævis judicia, hunc meum *Seceſſum* hypocriſeωs, ſuperſtitionis & affectatæ ſingularitatis inſimulantia, ſcil. à Mundo forſitan malè me exceptum, adeòque indignabundum Sacram hanc meditatum fuiſſe Solitudinem; In Mundo (ſicuti vulgo ſolet) eſſe vivendum, à ſeculi moribus neutiquam recedendum, imò cavendum ſummopere, ne in humorem aliquem incidamus melancholicum, ne multum hac ratione noſtræ decedat exiſtimationi, ne a-

liis

liis nos exosos reddamus & intolerabiles, ne ante tempus conseneſcamus, magnumq; ſanitatis imò vitæ etiam detrimentum patiamur, & quæ ſexcentæ huiusmodi næniæ aniles aliæ. Quas omnes protinus contemnere, pariter ac cætera Mundi in me evibranda ſpicula (Tua optime Pater ſuffultus gratia) Chriſtianæ fortitudinis clypeo excipere conſtitui; Immunde (dicens) Muncde, bene poſthac Tecum mihi haud conveniet, Par ſumus profectò jam male compoſitum, cumque Te, amicum quondam, varium adeò, inconſtantem, imò maximè infidelem ac perfidum ſim expertus, minimè amplius de favore gratiaque tua poſthac ero ſollicitus: Vituperes, carpas, infeſtes pro tuo me lubitu, parum refert, modo mea non me accuſet conſcientia, nec divina deſtituat gratia. Noctuæ inſtar occlames, ad avium de die volitantium quietem interturbandam, ego in *Pio ſeceſſu* bonoq; propoſito (ope cœleſti,) conſtans perſeverabo, in concepta ſententia invariabilis; Tu me ut ſtolidum, moroſum, cœcumq; deſpicias, ego Te viciſſim inſipientem, & Dei mei hoſtem infenſiſſimum eſſe reputabo,

tabo, illiuſq; jam ſervitio conſecratus, nihil aliud per eius gratiam ſpectabo, quam ut divina voluntas impleatur, eidem propria mea conformetur, ac inter dulcia providentiæ Cœleſtis brachia tranquilla mihi felicitas, & felix animi obtingat tranquillitas. Tu etenim, benigniſſime mortaliũ Aſſertor Deus, amore ſuaviſſimo eos complecteris, qui ſe totos Tuæ permittunt providentiæ, cum certo deſtinatoque conſilio Te ſequendi per omnia, quidquid tandem evenerit, & S. Jobi verba ſemper in ore habentes: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen eius in æternum benedictum*; nam ſive des, ſive auferas, utrumque ex amore agis & in meum commodum. Sic tandem in voluntate & providentia tua acquieſcentem animum turbare deſinent inquieti illi impetus, & abſque angore eventus caſusque omnes ille excipiet; Sic totius vitæ globus in duobus polis immobiliter, Te ipſo regente, movebitur, videlicet NOLLE & VELLE, Nolle quod non vis, ô Deus, velle quod vis, nolle quicquid Verbum tuum prohibet, velle quicquid jubet.

Tua

Tua igitur Voluntas, colendiſſime Pater, meæ voluntatis ſit regula, quæ & deflexam corrigat, & diſtortam pravamque ad rectam tuam dirigat, quæ fugienda mala, quæ bona ſequenda commonſtret,

FIAT DOMINE IN ME, DE ME, PER ME, CIRCA ME, ET CIRCA OMNIA MEA TUA SANCTISSIMA VOLUNTAS, NUNC ET SEMPER ET IN ÆTERNUM!

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [151] - 147
PUBLIC DOMAIN

DES. ERASMUS ROTEROD. IN ADHORTATIONE AD CHRISTIANÆ PHILOSOPHIÆ STUDIUM, Tom. V. Opp. fol. 117.

IN *ceteris Disciplinis omnibus, quas humana prodidit industria, nihil est tam abditũ & retrusum, quod non pervestigarit ingenii sagacitas; nihil tam difficile quod non expugnarit labor improbus. Qui fit autem, ut* HANC VNAM PHILOSOPHIAM (Christianam scil.) *non his quibus par est animis amplectamur, quotquot ipso etiam cognomine Christi nomen profitemur? Platonici, Pythagorici, Academici, Stoici, Cynici, Peripatetici, Epicurei, suæ quisq; sectæ dogmata, tum penitus habent cognita, tum memoriter tenent, pro his digladiantur illi, vel emorituri citius, quam authoris sui patrocinium deserant. At cur non multo magis tales animos præstamus authori nostro & Principi Christo? Quis non vehementer fœdum censeat, Aristotelicam profitenti Philosophiam, nescire quid Vir ille senserit de causis fulminum, de prima materia, de infinito? Quæ nec cognita felicem, nec ignorata reddunt infelicem. Et nos tot modis initiati, tot sacramentis adacti Christo, non fœdum ac turpe putamus illius nescire dogmata, quæ certissimam omnibus præstent felicitatem? Si quid à Chaldæis aut Ægyptiis adfertur, id*

id ob hoc ipsum acrius avemus cognoscere, quod è peregrino sit Orbe deportatum, & pretii pars est è longinquo venisse, & sæpenumero insomniis homunculi, ne dicam impostoris, tam anxiè distorquemur, non solum nullo fructu, sed magno temporis dispendio, ut ne quid addam gravius: tametsi jam hoc ipsum, ut nihil accedat gravissimum est. At qui fit, ut hujusmodi cupiditas non item Christianos titillet animos, quibus persuasum est, id quod res est, hanc doctrinam non ex Ægypto Syriave, sed ex ipso venisse cœlo? Cur non ita nobiscum cogitamus omnes? Novum & admirabile Philosophiæ genus sit oportet, quod ut traderet mortalibus: is qui Deus erat, factus est homo; qui immortalis, factus est mortalis. qui in corde Patris erat, sese demisit in terras. Magnum quiddam & haudquaquam triviale sit oportet, quidquid illud est, quod ille tam admirandus author post tot excellentium philosophorum familias, post tot insignes Prophetas, docturus advenerit. Cur non hic pia curiositate singula cognoscimus, disquirimus, excutimus? Præsertim cum hoc Sapientiæ genus, tam eximium, ut semel stultam reddiderit universam huius Mundi Sapientiam, ex paucis hisce libris, velut è limpidissimis fontibus haurire liceat, longe minore negotio, quam ex tot voluminibus spinosis, ex tam immensis, iisq; inter se pugnantibus interpretum Commentariis Aristotelicam doctrinam, ut ne addam, quanto majore cum fructu. Nihil enim hic necesse est, ut tot anxiis disciplinis instructus accedas. Simplex & cui-

vis

vis paratum est viaticum, tantum adferas PIVM AC PROMPTVM ANIMVM, & imprimis simplici puraq; præditum FIDE. Tantum esto docilis, & multum in hac Philosophia promovisti. Ipsa suppeditat Doctorem Spiritum, qui nulli sese lubentius impartit, quam simplicibus animis. Illorum disciplinæ, præterquam quod falsam promittunt felicitatem, multorum ingenia submovent, ipsa videlicet præceptorum difficultate. Hæc omnibus ex æquo sese accomodat, submittit se parvulis, ad illorum modulum sese attemperat lacte illos alens, ferens, convovens, sustinens, omnia faciens, donec grandescamus in Christo. At rursum ita non deest infimis, ut summis etiam sit admirabilis. Imò quam longius in eius opes progressus fueris, hoc longius illius majestate submoveris. Parvis pusilla est, magnis plusquam maxima. Nullam hæc ætatem, nullum sexum, nullam fortunam, nullam reiicit conditionem. Sol hic non perinde communis & expositus est omnibus, atq; CHRISTI DOCTRINA.

PII SECESSUS,
A
LITERATO HOMINE
INSTITUENDI, ADUMBRATIO.

SACRÆ SOLITUDINIS Arcanum revelatum. Pag. 1.

Maximum Literati Hominis in suo otio pioque secessu negotium; 7.

Magni BASILII exemplo & documento egregio declaratum. 9.

Sacri *TIMORIS* Magisterium Literato prolixè commendatum. 19.

Idem porrò octo Patrum doctissimorum exemplis, sive conversionum admirandarum historiis illustratum; utpote:

I. D. THEOPHILI ANTIOCHENI. 24.

II. D. JVSTINI PHILOS. & MARTYRIS. 35.

III. D. AURELII AUGUSTINI. 48.

IV. D. HILARII PICTAVIENSIS. 60.

V. D. JOHANNIS CHRYSOSTOMI. 68.

VI. D. EPHRÆMI SYRI. 78.

VII. D. HIERONYMI STRIDONENSIS. 85


VIII. D. BERNARDI ABBATIS CLARAVALLENSIS. 91. Ho-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [155] - -
PUBLIC DOMAIN


Horum Exemplis incitati LITERATI HOMINIS in TIMORIS Sacri Gymnasio pia institutio. 101
Vitæ perperam anteactæ seria deploratio, Divinæq; misericordiæ Christiana & fiducialis apprehensio. 103
Morum subsequens reformatio, ipsumque pietatis exercitium. 110
Pie eruditi Hominis ex Timoris Gymnasio in Divini Amoris Academiam translatio. 113
Charitatis, DEO, Proximo, ipsisque hostibus, æmulis, & obtrectatoribus à Literato debitæ, ratio. 113. 116. 120.
Invidiæ literariæ (activæ sc.) abdicatio. 122.
passivæ æquanima toleratio. 124.
Superbiæ & Elationis Literariæ depulsio. 128
Denique ex sinceræ HUMILITATIS studio in Literatum derivata abnegatio;
(1.) Laudum plausuumque inanium. 131
(2.) Honorum atque dignitatum. 133
(3.) Gratiæ favorisque humani. 337
(4.) Famæ diffusæque gloriæ. 140
Et voluntatis propriæ ad divinam conformatio. 146

FINIS.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [156] - - PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [157] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [158] - -
PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover
035
036 828 076
I 688

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [159] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [160] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 7;Leibn. Marg. 72, [161] - -